SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN TERTIUM.

HISTORIÆ OLAVI TRYGGVII FILII

PARS EXTREMA

CUM PARTICULIS DECEM HISTORICIS.

HAFNIÆ, 1829,

TYPIS HARTVIGI FREDERICI POPP.

LONDINI,

APUD JOHN & ARTHUR ARCH,

No. 61, CORNHILL.

HISTORIA
OLAVI TRYGGVII FILII,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

PARS EXTREMA

CUM PARTICULIS DECEM HISTORICIS

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS IN ISLANDIA.

HAFNIÆ,

TYPIS HARTVIGI FREDERICI POPP.

1829.

Historia Olavi Tryggvii filii.

Caput 256.

Relationes Snorrii et aliorum de fuga Olavi regis.

Jam multæ de rebus ibi gestis relationes extant. Snorrius Sturlæ filius sic refert: regem Olavum, cum videret plerosque suorum cecidisse, Eirikum vero dynastam ad celsam puppim magna cum suorum multitudine vadere, ipsum ac Kolbjörnem aulæ magistrum e navi sese, alterum a dextro, alterum a sinistro latere, ejecisse; dynastæ autem classiarios, navigiis circa dispositis, in his interficiendis, qui in mare prosilierant, occupatos fuisse. Et regem quidem ipsum, postquam in aquas desilierat, cum qui in navigiis erant, vivum capere dynastæque tradere vellent, sublato supra caput clypeo, in undas se demersisse; Kolbjörnem vero aulæ magistrum, subjecto sibi clypeo, hastarum ictus, quibus e subjacentibus navigiis petebatur, a se defendisse, atque ita in mare delapsum, ut a subjecto clypeo exceptus sit, quare impeditum a submergendo, vivum captum fuisse. Hæc est narratio Snorrii. Ipsius autem Kolbjörnis aulæ magistri verba sic referuntur: is, cum in celsam puppim ascenderat,

rexque tela in Eirikum dynastam torquere cœperat, conspicatus est, id quod alii ante viderant, guttas sangvinis e manica loricæ decidentes, et post paulo visus sibi est animadvertere speciem regis, in lorica omnique, qua eo die usus est, armatura, e navi motu subito desilientis et, cum eum capere vellent hostes, sublato clypeo se protegentis; hoc ipso momento Kolbjörn, ad adversarios conversus, animadvertit, eos tanto numero Serpentem conscendisse, ut plenam ferme hostibus navem diceres; inde, exiguo, ut ipse postea fassus est, timore commotus, ad id latus navis, ubi rex Olavus ante fuerat, se contulit; quem cum nuspiam apparentem videret, relicto clypeo, e navi prosiliit. In undas delatum clypeus eximii splendoris excepit, quem ab rege Olavo hoc die gestum agnovit. Huc delatus, animadvertit hominem sub clypeo perite natantem, qui se pondere premi sentiens, clypeum dimisit. Mox Kolbjörn captus, et in navigium quoddam extractus, cum pro rege haberetur, ad Eirikum dynastam ductus est. Cum vero dynasta animadverteret, Kolbjörnem esse, non regem, vita donatus est. Hoc ipso momento complures regiorum, qui quidem superstites erant, e Serpente in mare desiluere, insignibus editis virtutis speciminibus, memori apud posteros fama. Ex quibus, teste Hallfredo, fama est, Thorkelem Nefjam (Nasonem) pulcherrime se defendisse, fratremque regem Olavum fortissime tutatum esse. Ille de hac re sic loquitur:

Juvat, ex viris ibi constitutis
audire certo, (prælium, maris
ab austro, increvit; enses virorum
addicta morti pupugere corda),
virorum quem fortissime

sequi Olavum, testificentur
clypei gestores; facio expolitum
giganteæ subolis liquorem [1]).

Idem expresse testatur, Thorkelem ex omnibus regis Olavi militibus postremum e navi desilivisse:

Vir, auri liberalis maxime,
natare conspexit vacuos
utrumque Serpentem et Gruem,
(is lætus hastam in pugna tinxit);
Thorketilus, audax in prælio,
animosus, ante quam de pugna
commissa in funium lupo
nandi peritus effugeret [2]).

---

[1]) Ordo: *Gott er, at frètta gerva a) at b) α) þar- c) mönnum d), (gunnr vóx e) fur sunnan haf; sverð bitu β) fjör-rönn f) feigra firða), hvern rekká γ) randláðs viðir kváðu g) fylgja Olafi rakkligast h); ek vinn i) slèttan k) δ) surts l) ættar m) sylg.* Abest in S.

a) gjörva, id. B, C, Sk. *b) á*, Sk. *c) því*, B, C, Sk. *d) unnum*, Sk, unde haud elicitur sensus aptus. *e) gunnvogs*, una voce, Sk, vitiose. *f) fjörrunna*, Sk. *g) rekr Þorketils betra*, pro *randláðs — kváðu*, Sk., (quem versum omittit F) sine idoneo sensu. *h) rakligast*, promtissime, Sk. *i) um*, om. *ek*, Sk, F. *k) slèttar*, B; *sleitan*, Sk. *l) satt mun*, F, Sk. *m) ítr*, F, Sk.

α) þarmenn, homines, ibi qui sunt; sic *hèrlandsmenn*, homines, qui in hac terra sunt, Hkr. VII C. 134 *þarlendskr*, ibid. C. 253. *β) fjörrann*, n. locus vitæ, cor vel pectus, eodem modo, quo cor dicitur *lífs-legrann*, locus ubi se continet vita, Eyrb. 19, 1. *γ) randláð*, terra circuli, clypeus, ut *baugjörð* in Edd. Sn., hujus *viðr*, pugnator. δ) i. e. diligenter perficio carmen. *Surtr*, nomen gigantis; *surts ætt*, collect. gigantes. *Sylgr*, potus, a *svelgja*, deglutire. Notum est, poësin appellari potum gigantum.

[2]) Ordo: *α) Ogræðir a) armgrjóts sá fljóta auða Travnu ok báða naðra, (hann rauð glaðr geir at gunni), áðr hjaldr-þor-*

Thorkell, terram natando assecutus, saluti in præsentia consuluit; postea tamen pacem vitamque ab Eiriko dynasta pactus est, ut cæteri, qui regem Olavum secuti fuerant. Præter Kolbjörnem aulæ magistrum, sex alii inter natandum comprehensi vita donati feruntur: Einar Thambarskelfer (Arcipotens), Thrandus Skjalgus (Strabo), Ögmundus Sandius, Thorsteinn Uxafotus (Bovipes), Björn ab Studla, Asbjörn de Mostria. Sigvaldius dynasta hoc die decem naves suas in anchoris tenuerat, neque prælio interfuerat. Cum vero rex Olavus e navi desiluisset, universusque exercitus victoriam conclamaret, tum demum Sigvaldius ac sui remos impulerunt[1], atque ad prælium remigarunt. Cujus meminit Hallfredus[2]:

> Late ferebantur ad pugnam naves
> Vendorum; et sphinges Othiniani
> tegminis, tenues, revinctæ, aspiciebant
> rostris hiantibus viros.
> Mari extitit strepitus gladiorum;
> laceravit aquila lupi escam;

---

inn b) hugframr þorketill, snotr sunds, hèldi undan or c) ramri d) böð e) á f) β snœris g) vitni h). Abest in S.

a) ógn rœðir, qui terrorem infert (auro), id., F. *augð rœðer*, corr. Sk. *b) þorn*, gigas (pugnæ), intrepidus bellator, Sk. *c) í*, in, F, Sk. *d) rama*, Sk. *e) band*, Sk, corr. pro *bavð*. *f) af*, ejiciens se ex (navi), Hkr. VI, 129. *g) snœra*, in plur. id., Sk. *h)* sic B, Hkr.; *otri*, lutra, id, Sk; *fjötri*, vinculo, C, i. e. navi, quæ funes continet, eadem ratione dictum, ac *tíngla taung*; *unni*, A, quod mihi nil nisi lapsus calami videtur, pro *uitni* i. e. *vitni*.

a) ógrœðir, qui non lucratur, lucri gratia servat; *ógr. armgrjóts*, qui gemmas (i. e. res pretiosas) non sordide parcit, vir liberalis. *β)* i. e. nave.

[1]) *í sjá*, in mare, B, C. [2]) Hallarsteinn, B; Haldor, F.

rector juvenum præclarus pugnavit;
gens multa capessivit fugam[1].

Eodem vero tempore, quo conclamatum est et Sigvaldius ad pugnam remigavit, viri, celoce vecti, qui hoc die bis in colloquium regis Olavi Tryggvii filii venerant, remos impulerunt, citatissime navem propulerunt, et Vindlandiam repetiverunt. Et jam tum multorum hominum sermo fuit, regem Olavum sub aquis loricam exuisse, urinandoque extra naves longas progressum, celocem Vendicam attigisse, et ab Astridæ emissariis ad terram deportatum fuisse. Ex quibus singulis probabilis facta est conjectura de fuga Olavi regis, tam ex iis, quæ postremo tempore de rege animadverterunt, qui huic prælio interfuerunt, quam ex narrationibus, quæ, teste Snorrio, postea de itineribus regis Olavi compositæ sunt, quo accedit, quod eum quidam[2] in terris peregrinis cognoverunt ex monimentis, huc in regna septemtrionalia ab ipso missis, ut infra dicetur. Quibus et ab aliis adstruitur hoc,

---

1) Ordo: *Finda skeiður drógu a) vildt at vígi b); ok α) hunn-vafin c) gálkn þriðja hauðrs d) gindu mannum e) á f) þjóðir. Sverða gnýr varð á sjó g); örn sleit gera h) beitu i); dýrr drengja stjóri k) vá; mörg l) drótt kom á flótta.* Abest in S.

a) drógust, id., B, C, F, Hkr. VI, 130, 1. *b) vagi*, in sinu, Hkr. *c) varin*, circumdatæ, B. F, *varit*, id., Sk, ut *brúðr baugvarið* in Edd. Sæm. *í járn*, Hkr., in qua lect. latere videtur *varit*. *d) auðs*, F, Sk, divites (viros). *e) mönnum*, viros, Sk, *f) at*, Sk. *g) sak*, corr., Sk. *h) geira*, ensium, Sk. *i) bleytu*, lutum i. e. sangvinem, corrupte. *k) arfi*, hæres, Sk. *l) mjök*, valde, Sk.

α) vafinn, circumvinctus ɔ: cujus manubrium auro vel argento revinctum est; sic *gulli vafðr meðalkafli*, Hkr. VII. C. 236. *þriðja hauðr*, tegmen Othini, clypeus; *hauðr*, terra editior, hinc refugium, tegimen; illius *gálkn*, noxæ clypei, enses.

2) *nökkurir menn*] *Norðmenn*, Normanni B, C.

quod noverunt omnes, qui ex hoc prælio evaserunt[1], eum in Serpente non cecidisse. Verum tamen sic hac de re Hallfredus difficilis poëta:

Nescio, defunctumne fato
celebrare debeam heroa,
qui alitibus pugnæ famem
exstinxit, an vita fruentem;
quandoquidem pro certo mihi
utrumque perhibent viri;
utcunque est, saucius rex dicitur;
periculosum quid de eo narratur[2].

Verum utut hæc facta sint, rex Olavus nunquam postea regno Norvegico præfuit; Hallfredus tamen[3], dolentibus amicis regis Olavi, quos amissus tanti principis maxime angebat, levamento fuisse ait, quod superstes esset, quamvis regno et patria excidisset. Sic enim ille:

Pertulit mihi fama, terræ custodem
exutum esse regno et subditis,
ab australi parte oceani;
gravior dolor non accidet mihi.

---

[1]) Inserit h. l. A: *at hann hafði brott komizt or bardaganum*, eum ex prælio evasisse; tum sequens membrum vertendum: quippe qui in Serpente non ceciderit.

[2]) Ordo: *Ek veitkat a) hitt, hvart b) ek skal leyfa a) heita dýrbliks c) dynsæðinga húngrdeyfi d) dauðan, eða þó kvikvan e): alls seggir f) segja g) mèr sannliga hvarttveggja; gramr mun sár at hváru h); hætt er at frètta til hans.*

a) veit ek eigi, ei, id., Hkr., Sk; *veitkaða*, B. *b) hve*, quomodo, Sk. *c)* sic F, Hkr., Sk; *dýrðliks*, gloriosi (ɔ: piratæ), A, quod minus aptum videtur; *dýrligs*, id., B, sed metro repugnans. *d) húngrdreifi*, Sk, qui dissipavit famem. *e) kvikan*, id., B, Sk. *f) segir*, Sk, corr. *g) seginn*, Sk, corr. *h) hvarum*, Sk.

α) dýrblik, splendor eximius; it. res splendida, *d. heita*, spl. res piratæ, ensis fulgidus, ejus *dynr*, pugna, hujus *sæðíngr*, avis pugnæ, corvus, et denique ejus *húngrdeyfir*, præliator.

[3]) *sér ok öðrum*, sibi aliisque, add. B.

Quos etsi ignis manualis
ministri machinati sint dolos,
animi solatio nobis foret,
si vivus rex superstes esset[1].

Quamvis autem homines cordati, qui ei prælio interfuerunt, de fato regis, quid quisque videndo comperisset, significaverunt, tamen nemo se pro certo scire putavit, utrum rex inde evasisset nec ne. Jam supra commemorata est relatio Kolbjörnis, qui regi Olavo e navi exsilienti proximus adstitit. Ea autem est relatio Einaris Thambarskelferis: cum Eirikus dynasta per interscalmium Serpentis primas ad celsam puppim vaderet, animadvertisse se guttas sangvineas, e galea, quam capite gestabat rex Olavus, in genam manantes; cogitanti vero attendere, quid rex consilii adversus dynastam ad se vadentem capturus foret, tantum sibi accidisse lapidis ictum, ut deliquium animi passus fuerit, ubi vero resipuerit, regem nuspiam ab se visum. Sic dixit Skulius, filius Thorsteinis, filii Egilis de Borga, se, cum unacum Eiriko dynasta puppim versus tenderet, vidisse regem

[1]) Ordo: *Landvörðr a) var sagðr mèr firðr lýðum ok b) láði fur handan sjá; en c) munuma d) of biða meira strið. Þó at α) ærir e) hauka há-klifs elds β) beldi þeim f) svikum, veri g) oss h) heila líkn, ef jöfr lifði.*

a) *landnorðr*, vitiose, Sk. b) *at*, præter, unacum, C. c) *né*, non, Sk; *ein*, prave, B. d) *min muna*, B; *muna*, *menn*, C; *muni maðr*, F, Sk. e) *æirunst*, corr. Sk. f) *þjóð*, C. g) *væri*, id., Sk.

α) i. e. viri, nempe Rex Danicus & Svecicus, qui in Olavum conspiraverant. *háklif hauka*, altæ accipitrum rupes, manus, ejus *eldr*, aurum; *ærir*, plur. *ta ærr*, id. q. *árr*, minister. β) *bella*, urgere, intendere; ut *bella styr*, ciere pugnam; *bella vexti*, incrementa capere, *bella ríki*, inferre vim, Knytl. 8, 7. γ) *heila líkn*, medela cerebri, gaudium, solatium.

Olavum celsa in puppi stantem; tum se inclinato corpore cadavera a pedibus dynastæ removisse, cum autem resurrexisset, evanuisse regem. Post autem paulo, cum conclamari cœptum esset, quidam ex adversariis Olavi regis, hominem animadverterunt rubris indutum, adnatantem Vendicæ illi celoci, qua vecti feruntur satellites Astridæ, regiæ filiæ, uxoris Sigvaldii dynastæ; hi autem viri, qui ista navi vehebantur, surgentes advenientem in navem traxerunt atque confestim maxima celeritate, ut supra commemoratum est, remigando avolarunt. Ex quo constans fama vulgo obtinuit, regem Olavum ab his viris vivum fuisse abductum, etsi sint qui infitias iverint. Apparuit quoque ex carminibus Hallfredi, ipsi vero esse similius visum, non potuisse regem Olavum, numero hostibus longe inferiorem, incolumem evadere; illud autem plurimorum sermone affirmari, eum in vivis esse. Qua de re hoc loco ita;

Gigantidis minister cuspidatæ,
qui principem virorum vivere
dixit, per omnem vitam fuit
deditus sincero Tryggvii filio.
Ferunt homines, Olavum
evasisse metallorum procella;
viri assequuntur res veras;
non adfuisse me, graviter fero[1].

Et alio loco sic;

---

[1]) Ordo; *Hinn er þat sagði, at lofða gramr lifði, var um æfi a) samr oddflagðs a) árr læstyggs Tryggva sonar. Öld kveða b) Olaf vera kominn or stála eli c); menn geta d) málin e) sönnu; mjök er verr ek var f) ferri g),* Abest in Sk.

a) *óðbragðs*, Hkr., rectius *oddbragðs*, vibrationis cuspidis, pugnæ. b) *kveðr*, B, C, Hkr. c) *æli*, B. d) *akta*, probant, B. e) *máli*, Hkr., ɔ; *ferri sönnu máli*, procul a vero. f) *en svá*, pro *ek var*, Hkr., B, C. g) *færi*; pauciores, B, C.

Cum viri, populorum copiis stipati,
ut audivi, regem oppugnarent bellicosum,
non verosimile fuit, regni excercitum
ea ibi mansura esse fata:
ut percarus consumtor glaciei
manualis ex tanto prælio
salvus evadere posset; haud mihi
viri videntur similia vero conjicere[1].

Verum tamen jam tum proxime ab his plurimorum de his rebus sententiæ in diversa abiere, affirmantibus aliis, regem Olavum e prælio evasisse, aliis negantibus; teste Hallfredo:

Adhuc viri quidam, ab oriente
ex pugna reversi, fama perferunt
divitiarum cognitori de saucio
principe vel incolumi elapso.
Nunc ex magno illo prælio
verus mihi adfuit nuntius
ab austro de regis obitu; sunt multa,
vago rumori hominum quæ opponam[2].

α) *oddflagð*, gigantis cuspidis, securis; ejus *árr*, miles; *samr* cum genit., qui multus, assiduus est in re aliqua; h. l. sensus est, hunc virum per totam vitam sub rege Olavo militasse.

[1]) Ordo; *Er a) þegnar sóttu þrótthardan gram með lýða liði frá ek, mundut α) land herðar b) verða þess sköp; at margdýrr β) mundjökuls rýrir c) myndi koma or d) slikum styr; þykkjat e) mèr f) gotnar geta g) glikligs.* Abest in S.

a) *alls*, siquidem, Hkr. b) *her þer*, id., Hkr. c) *stýrir*, rector, Hkr. d) sic Hkr. *ok*, &, A, cet. prave. e) *þykkjast*, sibi videntur, Hkr. f) *þess*, id., Hkr. g) *sœta*, contra metrum, B.

α) i. e. copias, Olavum secutas. *herðar*, metri causa, pro *her þar*, ut respondeat *verða*. β) *mundjökull*, glacies manus, argentum, a splendore; ejus *rýrir*, qui distribuit opes, vir liberalis; h. l. intelligitur Rex Olavus.

[2]) Ordo: *Enn segir sumr seggr a), austr or málma gnaustan α) auðar b) kenni c) frá sárum tiggja eða braut of komnum d). Nú*

Cum vero nuntii de itineribus regis Olavi ex regionibus australibus allati sunt, exemta multis est dubitatio de fuga regis; Hallfredus autem necesse fuit ita carmine significaret, quemadmodum primo fando acceperat, ut ipse testatur, ægre ferens, quod non ibi adfuisset, ut pro rege Olavo pugnaret:

Damnosum fuit, quamvis in uno
parum momenti sit, quod abfui
ab assiduo pugnatore, quo loco
metalla dissiliebant maxime.
Disjunctus sum a principe, id quod
effecit martiale seculum; exspecto
dominum virorum; quanquam plurimos
mortalium spes cœca tenet[1].

---

hefk sannfregit e) siklings morð sunnan f) or g) miklum styr; ek kann h) margt við veifanar orði i) manna.

a) sumir seggir, Sk. *b) aldar*, virorum, B. *c) kennir*, Sk. *d)* sic B, C, Hkr. *komna*, A, vitiose; *at braut hafi komizt*, regem saucium e pugna evasisse, Sk. *e) sannfregn*, veram famam, Sk. *f) siðan*, postea, F, Sk. *g) orð*, Sk. *h) kanna*, Sk. hic inserunt negationem *ei* B, C, Hkr., Sk. *i) orðum*, Sk, id.

α) viro, pro pronomine „mihi," ɔ: ipsi poëtæ.

[1]) Ordo: *Ilt mein var þatz a) ek stóð fjærri α) úlfa sultar þverri β), þar b) málmar brustu mest opt, þó at smátt sè und einum. Ek em c) skiliðr við skylja, skálm öld hefir valdit því; ek vætti virða drottins; γ) vil d) ok dul er mest flestum.* Posterior semistropha exstat in Edd. Snorr. ed. Holm. p. 192. Abest hæc stropha ab Sk.

a) þat er, id., B. *b) er* add. B. *c)* ita B. & Edd. Sn. l. c. *er*, id., C. *en*, A, prave. *d) vilja*, volunt, pro *vil er*, B.

α) propr. qui exstinguit famem luporum, i. e. rex bellicosus, nempe Olavus. β) intelligit pugnam ad Svoldram commissam. γ) *vil ok dul*, sæpius una junguntur, e. g. Godr. Harm. str. 39. Sólarl. 34, ubi in priore loco videtur esse voluptas et simulatio, in posteriore avaritia & fastus. Plerumque *dul* est cœca sui æstimatio, *vil*, cupido, qui sensus in nostro loco obtinet, ut et in loco Sn. Edd. p. 279. *dul vættir ok vil, at lina muni erfiði ok vil.*

Ferunt, hoc prælium illustrissimum fuisse eorum, quæ in septemtrione gesta sunt, multas quidem ob res; primo insigni ea fortitudine, qua se rex Olavus ac sui in Serpente tutati sunt, cum nullæ unquam copiæ post hominum memoriam tamdiu tantaque fortitudine adversus tantam hostium multitudinem se defenderint; deinde strenua illa impugnatione Eiriki ejusque militum, [quæ late inclaruit, teste Hallfredo:

Gladiorum numen ense præduro
cædis procellam, Hedinianæ
virginis tempestatem, incitavit
in lato insulæ freto:
ante quam Eiricus Serpente
potiri posset aut victoria;
in sanguine multus acutus ensis,
Olavo feriente, natavit[1].

---

[1]) Ordo: *Sverða tír lèt* α) *harðgjörnum hjörvi-verða* β) *vígþey, hèðins meyar vind, á víðu hólms sundi: áðr en Eiríkr næði Ormi eða meira hlut; mörg bitr* γ) *beinkveif óð í blóði fyrir Oleifi.*

α) melius ad metrum foret *harðgjörvum*, eod. sen su. β) Si quem offendet bis repetita pugnæ appellatio, ita jungat verba, licet: *vígþey hèðins meyar*, *á víðu vindhólms sundi*, i. e. funestam auram Hedinianæ virginis (ɔ: Hildæ, bellonæ), in lato Vendicæ insulæ freto; vel *vindhólmr* explica per insulam ventosam, frigidam; ut sit periphrasis τϩ *Svöldr*, qs. frigida, a *svalr.* γ) quid *beinkveif* pr. significet, mihi non liquet. Ensem intelligi, svadet adjectum *bitr*, acutus. *kveif*, vide Spec. reg. conjicere licet *brynkveif*, galea, sed obstat adjectum *bitr*; it. *bensveif*, tigillum vulneris, ensis. Nisi *kveif* aliam significationem habeat, mihi ignotam, quæ huic loco conveniat. Si porro conjecturæ locus esset, legendum svaserim *beinkneif* v. *benkneif* (quod rectius scribitur *benkneyf*, a verbo *kneyfa*, quod 1) premere, notat, vide supra, unde *þundar hýtar kneyfir*, qui premit galeam v. clypeum, pugnator, ut videre est ex carminis *Vellcklæ* stropha, quam de conflictu inter Haconem Satrapam & Ragufrödum (v. Text. isl. p. 93) servavit Cod. Fagur-

Hic quoque conflictus magna inclaruit hominum strage, et victoria dynastæ, qua navem expugnavit[1], omnium id temporis in Norvegia factarum maximam et pulcherrimam, quam complures censebant nunquam armis devictum iri, dum aquis innatavisset, si quales tunc vehebat viris instructa fuisset. Maxime autem ea de causa hæc pugna inclaruit, quod devictus est rex, omnium danica lingua loquentium celeberrimus, quemadmodum Hallfredus testatur:

> Contigit mihi spiritualis
> pater, qui quocunque principe
> cupido belli fuit potentior
> sub cœlo septemtrionali.
> Resarcietur id nunquam mihi
> damnum; quod lata proræ lunula
> ejus, qui pugnam multoties concivit,
> incisione læsa fuit[2].

skinna: *Hóf und hýtar kneyui (hraut unda fjöld) þundar, (þat sleit víga vægi) vandar dýr at landi* &c., ubi legendum est *kneyvi* v. *kneyfi*, *und á fjöl*, & *víg á vagi*. Eodem modo *dróttar kneyfir*, coërcitor, dux agminis, Thorsdrapæ str. 12. hinc *beinkneyf*, f. res, quæ premit, lædit ossa, telum; vel *benkneyf*, res quæ imprimit, infligit vulnus, idem. 2) verbum *kneyfa* secandi notionem involvit, ab imprimendi notione oriundam; huc referenda: *kneyf* & *hneyf*, f. hamus major (v. B. Halth. Lex.), imperf. *hnóf*, abscidit, Gudrunarhvata, 12. it. *hnæfiligr*, *hnæfilyrdi*, mordax, dicta mordacia &c. Ex qua notione teli quoque denominatio prodit. 3) evacuare, *kneyfa af horni*, & *kneyfa horn*, Egl. p. 357 & 359.

1) Sic B, C, sed A ex iis quæ uncis inclusa sunt tantum habet: *er þat skip varð hroðit*, quod ea navis expugnari potuit (quæ fuit &c.).

2) Ordo: *Ek hef vorðinn guðföðr, þanniz varð a) ríkri hverjum heiptíknum jöfri, norðr und norðra niðburði α). Ek mun aldreghi bíða þess bótir b), er breiðan β) barðmana γ) margaukanda mækis mót δ) vann skarðan.* Hæc stropha abest in Sk.

Et vero rex Olavus adeo gratia valuit, ut populus cogitaverit, nunquam fore, ut talis princeps in Norvegia aut alibi[1] nasceretur. Sic Hallfredus:

> Prius terrarum orbis et cœli
> labefient, quam princeps, similis
> Olavo animoso bonitate,
> nascatur; is terrestrium
> hominum fuit summum bonum.
> Christus, rex ille purus,
> conservet animam prudentis
> principis terris superiorem[2].

Commissa dicitur hæc pugna secundo hebdomadis die, quinto iduum Septembrium, qui postridie fuit festi posterioris beatæ Virginis,

---

a) *var*, B. *b*) *bóta*, B.

α) prius hemistichium, paucis mutatis, vide supra. *β*) i. e. clypeus. *γ*) i. e. strenui bellatoris, nempe Regis Olavi. *δ*) *vann skarðan*, cum accus., neutraliter accepi, qs. dixerit *gerði skarðan*; violabatur, ut in phrasi: *konúng setti dreyrrauðan*. Si vero *aukanda* in *aukandi* mutatur, *το vann skarðan* active erit sumendum. Solenne poëtis est, pugnas ex læsis, diffissis clypeis denominare, itaq. h. l. sensus est, quod Olavus in hac pugna inferior discessit.

[1]) *ok víðara*] om. B.

[2]) Ordo: *Fyrr mun heimr ok himnar bresta í tvav, áðr enn gæðíngr, glíkr hugreifum Oleifi at góðu, muni fæðast*; *a*) *hann a*) *var mest b*) *gott c*) *mennskra manna. Kristr, enn hreini konúngr d*), *hafi β*) *kæns e*) *önd γ*) *ofar löndum.*

a) *hans*, ejus, B, C. *b*) *mestr*, maximus, Sk. *c*) *skjótt*, celeriter (labascent), Sk. *d*) *konúngs*, Sk, ɔ: *önd kæns konúngs*, eod. sensu. *e*) *kænn*, Sk, ɔ: *kænn Kristr*, sapiens Christus; *kænst*, C, forte pro *kænz* (ɔ: *kæns*).

α) duplex adest lectio: 1o. *hann var mestr mennskra manna*, is summus mortalium fuit, sec. A, Sk. 2o. *hans var mest gott mennskra manna*, ejus bonitas maxima fuit inter homines, sec. A, B, C. *β*) pro substantivo, regis Olavi. *γ*) i. e. coelis; quod quoque ad *konúngr* referri potest, ɔ: rex coelestis.

elapsis ab incarnatione domini nostri Jesu Christi mille annis, qui annus incidit in vicesimum octavum annum imperii Adalradi, regis Angliæ, et in octavum[1] annum imperii Sveinis Tjuguskeggi (barbæ furcatæ), Danorum regis; eodem anno mortuus est Otto, ejus nominis tertius imperator, Hinriko in regnum succedente.

De morte Thyriæ reginæ.

257. Cum a cædibus cessatum, Serpensque exploratus et cadaveribus vacuefactus esset, Thyria regina ex foris reducta est; ea, magno affecta dolore, acerbe flebat. Quo viso, Eirikus dynasta ad eam accedens, magna sollicitudine infit: heic res maximi momenti acciderunt, dejectis multis nobilibus viris; qua re non solum tibi, regina, sed et omni populo Norvegico magnum dolorem attulimus, etsi te maxime, ut par est, tangat. Jam vero cum factum nequeat infectum reddi, qua potero damnum sic reparabo, ut si qua præfectura in Norvegia mihi continget, tuam dignitatem, quam potero, ex omni parte maximam in ea terra faciam, teque in omnibus rebus ornem. Regina respondet: hæc tua promissa ex magna humanitate et benevolentia, quam sæpe ostendes, proficiscuntur, atque utique vellem ego, si liceret, vivere tuumque acceptare beneficium. Verum tam acuto dolore cor meum punctum est, ut de longiore vita desperem. Quæ dicta eventus comprobavit, nam neque edere, neque bibere præ mœrore potuit. Tum ex[2] Sigurdo episcopo quæsivit, quam minimo cibo[3] ad vitam prorogandam[4] ex lege divina vesci licitum esset, deindeque ex ejus præcepto, quantum mini-

1) septimum, F. 2) *af* om. B[1], C. 3) *af fæðslu* om. C. 4) *lengingar*] *næringar*, alendam, B, F.

mum sumere licuit, vescebatur; eoque edito pietatis specimine, regina Thyria post novem dies exspiravit.

(*Eirikus dynasta Serpente longo potitur*).

258. Eiriko dynastæ Hakonis filio Serpens longus magnaque præda victori cessit. Qua de re sic Haldor[1]:

Serpens longus principem tulit
galea tectum illuc, ad magnum
conventum gladii; tunc milites
ornabant naves bellicas splendide.
Sed in australi regione, inter
strepitum bellonæ Satrapa lætus
serpentem accepit; Hemingi impiger frater
prius ensem tingere necessum habuit[2].

Dynasta Serpentem strenuissimo remigio[3] instruxit, eumque ipse rector gubernavit. Quod memorat Hallfredus:

Fama cluens rex Serpentem
bene onustum gubernavit
a borea contra Eirikum; postea
acer conflictus extitit.
Sed ultor Hakonis, ab austro,
regebat illum proræ caballum

---

[1]) Hallfredus, B.

[2]) Ordo: *Ormrinn lángi bar þángat hjálmfaldinn hilmi at a) miklu a) hríngs þíngi; þjóðir glæstu þá b) skeiðr; en jarl tók glaðr við naðri sunnr c) at gný gunnar; ótrauðr d) Hemíngs β) bróðir varð áðr at rjóða egg.* Hæc stropha est in appendice Sk. p. 3.

a) sic Hkr. *af*, ex, A, cet. *b*) *þar*, ibi, B. *c*) *snèri*, vitiose, Sk. *d*) *ótrauðs*, impigri, Sk. *ættgóðr*, genere nobilis, Hkr.

α) *hríngr*, inter gladii nomina affert Edd. Sn., unde *hríngs þíng*, pugna. *β*) Hemingus filius erat Hakonis Satrapæ ex Thora Skagii filia, cfr. Hkr. vita O. Tr. C. 19. Itaque Eirikus h. l. frater Hemingi dicitur.

[3]) *af enum fræknuztu mönnum*, fortissimorum virorum, add. B.

utrinque æqualem; ante pugna
circa bonum regem increvit[1].

Cum vero Serpens longus fortibus viris satis valide esset instructus. deduci quidem[2], ægerrime tamen, ab oriente in Vikiam potuit, inclinis usque procedens, neque gubernaculo parens. Quam ob causam Eirikus dynasta eum exscindi fecit; alii dicunt eum ejusdem jussu combustum.

259. Einar Thambarskelfer cæterique, qui post prælium ab Eiriko dynasta vita donati fuerant, boream versus in Norvegiam[3] cum dynasta profecti sunt. Vigius, canis Olavi regis, hoc die, quo gerebatur pugna, atque deinde continuo, in primate Serpentis interscalmio jacuerat. Cum vero dynasta Serpentem ad orientem in Vikiam deduxerat, Einar Thambarskelfer, ante quam in terram egrederetur, eo, ubi jacebat canis, accessit, dicens: domino nunc caremus, Vigi, inquit. Quibus dictis excitus canis exsiliit, fremens acutumque ululans, perinde ac si dolore cordis punctus esset, atque in terram cum Einare excurrit, et ascenso tumulo quodam recubuit, neque a quoquam escam accipere voluit, ea tamen alios canes, feras et aves

---

[1]) Ordo: *Ordsæll jöfr rèð a) ítr fermdum ormi norðan á móti Eiríki; snörp α) sverða snót varð at þat b). En hefnir β) Hákonar stýrði c) þeim γ) hýjöfnum d) hlýrs e) gota sunnan; gunnr vóx áðr um góðan gram.* Extat in Sk. in append. p. 3.

a) *með*, C. b) *atför*, impetus, Sk, pro *at þat.* c) *stýrir*, regit, Sk. d) *hverjöfnum*, B; eod. sensu, ut puto. e) *hýrs*, prave, Sk.

α) *sverða snót*, puella gladiorum, bellona, it. pugna. β) i. e. filius Hakonis, nempe Eirikus. γ) *hýjafn*, vox obscura; accipio *hý* pro *hve*, ut *hyjafn* sit id. q. *hve-jafn*, quacunque parte æqualis; vel *hý-jafn* id. q. *hár-jafn*, ad unguem factus.

[2]) *at kalla*, om. C. [3]) *Noregs*] *þrándheims*, B.

prohibens; lacrimæ ex oculis per rostrum decidebant: sic dominum suum lugebat; ibique jacuit usque eo donec exspirasset. Sic itaque Nordmanni has quatuor res, quas pretiosissimas patria tulerat, quemadmodum prædixerat cœcus ille colonus Mostriacus, amiserunt.

[*Danorum et Svionum reges Eirikusque dynasta Norvegiam inter se dividunt*].

Cap. 260. Dynasta Sveinn Hakonis filius, postquam cæso patre e Norvegia profugerat, in Svionia commoratus est, Holmfridamque duxerat, sororem Olavi, Svionum regis. Cum vero Sveinn, Danorum rex, Olavus, Svionum rex, et Eirikus dynasta Norvegiam inter se dividebant, Olavus, Svionum rex, quatuor obtinuit provincias in Thrandheimo, et utramque Mœriam, Raumsdalum et Ranrikiam orientalem ab Albi Gothorum ad Svinosundum. Hanc ditionem rex Olavus Sveini Hakonis filio affini suo tradidit, eadem lege, qua reges olim regulis vectigalibus sive satrapis tradiderant, addito simul dynastæ titulo. Eirikus dynasta quatuor in Thrandheimo provincias obtinuit, et Naumudalum et Halogiam, Fjördos et Fjalas, Sognum, Hördiam, Rogalandiam et Agdas boreales usque ad Lidandisnesum. Sic Thordus Kolbeinis filius:

Novi quod plerique magnates
dynastarum amici ab initio essent
præter solum Erlingium,
auri datorem laudo.
Sed paulo post cædem (Olavi) in prælio
a Veiga septentrionali austrum versus
ad Agdas vel longius terra subjecta est;
verborum delectum habeo[1].

[1]) Ordo: *Ek veit at ár váro flestir hersar jarla vinir; lof-*

Idem porro:

Populus a principe multum emolumentum
habuit,
hac sorte nostra contenti gaudemus,
debere se dixit tueri
Norvegiæ homines.
Verum ille rex (Daniæ) Sveinn
mortuus jam dicitur, ejus oppida
jam vacua facta sunt. Pauca sunt mala
quæ non plerisque hominibus contingant[1].

Sveinn Danorum rex Vikiam, quam prius tenuerat, solus obtinuit, Eiriko vero dynastæ Raumarikiam et Heidmarkiam tradidit. Eirikus dynasta et Sveinn dynasta utrique baptizati veram religionem amplexi sunt; qui quamdiu Norvegiæ præfuerunt, cuique de observanda religione liberum permissere arbitrium, priscas autem leges omniaque majorum instituta diligenter observarunt. Iidem apud populum gratiosi, in imperio exercendo diligentes; quorum fratrum Eirikus dynasta plus auctoritate et consilio valuit, Sveinn dynasta omnes, quos quidem homines viderint, formæ pulcritudine superabat.

[*De Erlingo affini Olavi regis*].

261. Erlingus Skjalgi filius, affinis Olavi regis, ceterique, qui ab Olavo rege navigave-

---

ak a) farlands α) fasta tý: en stundo eptir víg at styr lagðist land suðr til Agða eða lengra norðan frá Veigo, ek vel orð.

a) ita Hk.

α) *Farland*, navium solum i. e. mare; *farlands fasti* ignis maris, i. e. aurum, hujus divus vir.

1) Ordo: *Aldir nuto alvalds, slíko líkar vel at una, hann lézt skyldr at halda heidi of Noregs mönnum; en hinn Sveinn konúngr er sunnan sagdr dauðr; hans býir váro auðir α); fátt flestra ýta fár bilar.*

α) lego *auðir bœir*, vel construe: *hinn auði Sveinn konúngr* rex ille felix Sveinn.

rant, cum ingentes eas res, quæ ad Svoldriam gestæ sunt, accepissent, luctu et dolore animi commoti sunt, quod tam incautè ab illo abcessissent, et in tanto constitutum periculo reliquissent. Quo magis Erlingum angebat tanti principis amissus, quod arctiore cum rege Olavo Tryggvii filio necessitudine junctus erat, quam alii; is ex omnibus Norvegiæ præfectis solus fuit, qui in gratiam cum dynastis, Eiriko et Sveine, rerum potitis, redire non studeret. Eirikus vero dynasta, cum imperium suum stabilivisset, et potentiores populumque universum fide accepta devinxisset, indignatus, tantam esse Erlingo Skjalgi filio ditionem, omnes regios reditus[1], quos rex Olavus Erlingo tradiderat, fisco suo addixit. Erlingus autem nihilo secius mercedes ex prædiis per totam Rogalandiam exigebat, quare coloni sæpe coacti sunt per totam Rogalandiam bina ex prædiis vectigalia pendere, Erlingo alioquin rura[2] devastante; heic quoque ex multis pecuniariis parum Eiriko dynastæ redibat, cum prætores ibi suam auctoritatem tueri non possent; quare dynasta non nisi magno stipatus comitatu convivia obibat. Quam rem memorat Sighvatus:

Is fuit Erlingus, affinis
generosi Olavi Tryggvidæ, qui metum
incuteret Satraparum familiæ,
qualem incutere rex non potuisset.
Deinde rusticorum strenuus
dominus aliam suam sororem
dedit Rögnvaldo nuptum;
id vobis fortuna perennis fuit[3].

[1]) *ok eignir*, et possessiones, add. B, C. [2]) *jarðabyggingina* B. ɔ: ita ut incoli non possent; *Jaðarbygðina*, tractum Jadarensem, C.

[3]) Ordo: *Erlíngr, mágr a) aldyggs b) Olafs Tryggvasonar,*

Eirikus dynasta ideo Erlingum impugnare non aggressus est, quod hic potentes et multos propinquos habebat, amicis opibusque valebat, seque numeroso comitatu, sicubi ageret, regis instar circumdederat. Erlingus multum æstatis in piratica consumsit, opesque comparavit, more superioris liberalitatis et magnificentiæ usus, quamvis commodis tenuioribus minusque facilibus sibi, quam regnante affini suo, rege Olavo, frueretur. Hic omnes homines formæ pulcritudine, statura & robore superavit, plerosque pugnandi dexteritate antecellebat, multisque in artibus proxime ad Olavum regem Tryggvii filium accedebat; eidem prudentia insignis, multis in rebus acre contendendi studium, rei militaris laus maxima, tantaque in pugnando virtus et strenuitas, ut primus in quamque pugnam procederet et in primore acie rem gereret, teste Sighvato[1]:

Non alius fuit quisquam
virorum præfectorum, qui plures
pugnas committeret, quam Erlingus;
vir fortis audacter stetit.
Hic, liberalitate clarus maxime,

var sva c), at ægði d) jarla átt, er skjöldúngr múttit. Snarr e) búþegna harri gaf næst Rögnvaldi aðra systr sina, en þat var yðr f) aldrgipta. Sk. in append. p. 33; Hkr. in Vita Ol. Sancti C. 21.

a) post vocem *mágr*, *at* addit A, quod cum sensum perturbare videretur, exclusi. *b*) *aldýrs*, amati, B, contra metrum. *c*) post voculam *sva*, *at* add. A, Sk, minus recte. *d*) sic Hkr, Sk; *ægðit*, non terruit, A. *e*) *svarri* (rect. *svarr*), Sk. *f*) pro *en: yðr*, habet Hkr: *Ulfs feður var þat*; Sk *Olafr varðar.* Posterior semistropha ita quoque potest ordinari: *Snarr búþ. h. gäf yður næst sýstr sína, en Rögnvaldi aðra; þat var aldrgipta.* ɔ: strenuus dominus tibi primum sororem suam nuptum dedit, sed alteram Rögnvaldo; id fuit &c.

1) Sigvaldus poëta, B.

contulit ad pugnas fortitudinem;
primus enim in multa prælia
processit, sed excessit postremus[1].

Ea constans fuit hominum fama, Erlingum omnium in Norvegia præfectorum illustrissimum fuisse. Ex Erlingo et Astrida Tryggvii filia nati, Aslakus, Skjalgus, Sigurdus, Lodinn, Thorer et Ragnhilda, quam Thorbergus Arnii filius in matrimonio habuit. Erlingus semper domi suæ habuit nonaginta libertos aut plures; heic tam æstate quam hieme cerevisia inter prandium certis poculis distributa, inter cœnam, prouti cuique libuit, hausta. Ipse, cum in vicinia essent dynastæ, ducentos pluresque secum viros habuit; prædia obiens aliave negotia foris administrans, nunquam pauciore comitatu usus est, quam navi longa viginti transtrorum a viris plene instructa. Domi suæ Erlingus triginta servos habuit, præter alios domesticos; servis quotidie opera destinavit, quibus absolutis, tempus veniamque concessit, ut sibi ipsis opus facerent; iisdem agros dedit, quos sererent, ut ex frugibus lucrum facerent; singulorum pretia fecit, queis

[1]) Ordo: *Engi annarr lendra manna varð sá, er átti fleiri orrustur Erlingi; örr a) stóð þorrinn. Mest mildr seggr bar sinn þrek við sóknir b), þvíat gekk furst α) innan í marga hildi, en or c) β) á lesti d).* Abest hæc stropha in S. Duos primos versus affert Sk in append. p. 34.

a) sic dedi; B *orr*; A *or er*; C *orærr*. *b*) *til sóknar*, ad pugnam, eod. sensu, Hkr. *c*) *orr* B; *örr* Hkr. *d*) *at flestu*, plurimis in rebus (promtus), Hkr.

α) *innan* interdum pro præpos. *í* adhibetur, e. g. *innan eina gunni*, in uno prælio, Hist. Har. Severi C. 65, 5. *innan Tyrvist*, in Tyrvista, M. Nudiped. C. 9, 2.; interdum πλεονάζει, v. c. *hverr veit sik innan í helvíti, ef selr sinn kollan harra við golli*, Ol. Sancti C. 171, 1. Sic h. l. *β*) vide supra (pag. 133 textus islandici).

se redimerent, compluribus libertatem primo vel secundo anno redimentibus, cum nemo esset, cui quidem fortuna adfuisset, quin se tribus annis redimeret. Hac pecunia Erlingus alia mancipia coëmit; libertorum vero alios ad capturam halecum, alios ad alia lucrosa studia delegabat, quorum quidam excisis sylvis domos sibi ædificaverunt, singuli ejus opera ad lautam aliquam conditionem[1] pervenerunt.

[*De Einare Thambarskelfere* (*arcipotente*)].

262. Eirikus dynasta, ut supra commemoratum est, pacem Einari Thambarskelferi, filio Eindridii Styrkaris filii, dederat. Einar tunc octodecim erat annorum. Dicitur Einar omnium hominum, qui quidem in Norvegia fuerint, robustissimus telaque arcu emittendi peritissimus, et in sagittis maxima vi excutiendis acerrimus; is pellem bubulam, in tigno pendentem, bacillo (rudi) lusorio trajecit; idem perticis cursoriis per nives labendi peritia in primis præstabat, fortitudine et artium peritia clarissimus, divitiis et generis amplitudine conspicuus. Einarem, commisso ad Svöldram prælio in Norvegiam reversum, dynastæ Eirikus et Sveinn in gratiam receperunt, eique sororem suam Bergliotam, filiam Hakonis dynastæ, forma spectabilem, strenuæque indolis viraginem, nuptum dederunt. Qvorum filius, nomine Eindridius, prima jam ætate statura roboreque conspicuus, multis in rebus patri similis fuit. Dynastæ Einari ampla in Orkadalo salaria (commoda) præbuere, unde præfectorum in provincia Thrandheimensi potentissimus et nobilissimus evasit; idem satrapis amicissimus fuit, eisque plurimum præsidii præstitit.

1. *farnaðar*, id., C.

[Interemtus Stefner Thorgilsis filius].

263. Stefner Thorgilsis filius, ex quo legatione in Islandiam defunctus fuerat, apud regem Olàvum Tryggvii filium commoratus est, ut supra demonstratum est. Is in classe fuit, quæ ad Vindlandiam prævecta regem reliquerat. Cum autem fama in Norvegiam esset perlata, regem Olavum regno exutum esse, ea res Stefneri, ut cæteris amicis regis, magnum dolorem attulit; quæ res omnes maxime doluit, quotquot cum rege Olavo diutissime fuerant versati, eique intimi fuerant. Stefner, amoto rege, commorationis in Norvegia pertæsus, peregrinationem austrum versus instituit, Romamque profectus est. Qui cum ab austro in Daniam revertisset, die quodam eo venit, ubi aderat Sigvaldius dynasta, quem videns Stefner hos versiculos fudit:

Non proferam[1] nomen
rem propius tangam:
nasus aduncus est,
ut perduelli[2], qui[3] dolo
Svenonem regem
elicuit regno,
et[4] filium Tryggvii
fraude circumvenit.

Qvibus cognitis, dynasta his versibus se peti sentiens, confestim Stefnerem comprehendi necarique jussit. Cui præter alia hoc unum fuit crimen capitale.

[De Hallfredo Difficili-poëta].

264. Nunc eo, unde digressa est oratio, redeundum. Hallfredus Difficilis-poëta superiore æstate, antequam pugna in Serpente gesta est, nave in Islandiam devectus, cum ad

1) *eigi man ek nefna.* F, Sk, id. 2) *á níðingi þeim*, ei perduelli, Sk. 3) *er*, Sk. *þeim er*, ei, qui, B, C. 4) *en*, sed, Sk.

partem insulæ borealem appulisset, austrum versus per montana equitavit, quemadmodum supra commemoratum est. Heic veteres inter Hallfredum et Grisem Sæmingi filium simultates recruduere, tam de causa Kolfinnæ, quam de cæde Einaris Thoreris filii. Eo tempore Thorkell Krafla, Thorgrimi filius, Hofi in Vatnsdalo habitavit; is in matrimonio habuit Vigdisam, Olavi de Haukagilo filiam, atque in his tractibus plurimum auctoritate valebat. Tum Hunrödus, Vefreydi filius[1], Mobergi in Langadalo habitavit; hujus curialis erat Gris. Hallfredus Difficilis-poëta hiemem apud fratrem Galtium transigebat, tumque [versus Grisianos, quod magna ex parte probrosum carmen est[2], composuit. Quo cognito, Gris Hunrödum convenit; qui ut convenere, Gris infit: ea de causa huc adsum, quod tuis consiliis uti volo, quæ sit ineunda adversus Hallfredum[3] conveniens ratio, ne ab eo diutius solis contumeliis petar, nunc enim novas tantum faces addit inimicitiis. Hunrödus respondet: id consilii do, ut lites adversus Hallfredum instruas in conventu Hunavatnensi peragendas, neque tamen de causa[4] Kolfinnæ. His consiliis usus est Gris. Qui eodem vere austrum versus Hreduvatnum devectus, Hallfredum die dicta in conventu Hunavatnensi adesse jussit ad causam dicendam de cæde Einaris propinqui sui, deque carmine probroso; quibus actis domum revertitur. Post eodem vere fratres ab austro cum triginta viris equitarunt; Hallfredus auxilium a Thorkele Krafla affini suo petivit. Thorkell ei advoca-

[1]) Hunraudus Vefridi f., B, C. [2]) a signo: *Hallfreðr vísur þær, er Hálfníð eru kallaðar*, versus, Halfníd dictos, B. [3]) *við hæðni þá, er hann gerir mèr*, ob illatam mihi contumeliam, add. B. [4]) *mál*, causa, add. B.

tionem suam pollicitus est, modo satisfactio aliqua Grisi oblata foret. Cui Hallfredus: ita esto, inquit; intelligo enim, me erga Grisem modum haud tenuisse. Cum vero ad comitia Hunavatnensia ventum esset, Brandus Avaldii filius, frater Kolfinnæ, Galtium Ottaris filium, ex tabernaculo Thorkelis egredientem, letali vulnere feriit. Hallfredus, cum Brandum, iratris occisorem, clam sibi subductum frustra quæsivisset, Grisem in ipsis comitiis ad duellum circense provocavit. Nocte autem, diem quo decertarent proxime antecedente, accidit, ut Hallfredus in tabernaculo suo dormiens per quietem sibi visus sit regem videre Olavum Tryggvii filium. Putare se lætari et simul pertimescere, regem vero ita se alloqui: dormis, Hallfrede! perinde tamen erit, ac si vigiles; haud bene rebus tuis consulis, qui cum Grise armis decernere constitueris., qui tam malam habeas causam, cum ille a deo petiverit, ut qui jure contenderit, superior discedat. Jam meo utere consilio: satis habe, certamen omitti, potiusque culpam, qua teneris, pecunia expia., nihili faciens timiditatis crimen objici tibi. Mane autem proximo, ubi vestes indueris, in tumulum exi, qui a loco judicii prope est, qua semitæ coëunt; videbis ibi homines adequitantes, hos in colloquium adduc; quod si facies fieri potest, ut alia tibi res majoris momenti videatur, quam cum Grise decertare. Hallfredus expergefactus, perpenso quid in somnis sibi apparuisset, uni ex contubernalibus somnium aperit. Is infit: nunc porcellum times; satius tibi fuisset, prius cum eo reconciliari, quando facilem se in dictis præbuit, nunc vero æstimabunt inimici tui, te decertare non audere. Cui Hallfredus: æsti-

met quisque, uti volet; consiliis utar Olavi regis, quæ mihi nunc ut antea proderunt; eveniet quippe, credo, id quod me ultimum digressus monuit, ut mox satius ducam, cum ipso, quam heic in Islandia remansisse. Postero mane Hallfredus in collis cujusdam semitam progressus, homines videt coloratis vestibus indutos equis advehi, quos accedens, quid novarum rerum quæsivit: illi cædem regis Olavi Tryggvii filii referunt. Quo Hallfredus nuntio valde commotus, illico in comitia regreditur, remque palam facit, quo facto in lecto decumbit, magno affectus animi dolore. Tum dicere Grisiani, Hallfredum in hac causa minime se virum præstitisse. Quibus Gris: minime sic res est; haud equidem tantum ab imperatore Constantinopolitano honorem consecutus sum, quantum ab rege Olavo Hallfredus: atqui nulla res mihi gravior accidit, quam nuntius de morte imperatoris; atque is demum novit, qui dominum suum amittit, principum amori quanta vis insit. Atque equidem commodum existimo, si non dimicandum mihi erit adversum fortunam regiam, Hallfredi comitem perpetuam. Jam cum primo Thorkell arbiter litis nostræ sit designatus, idem nunc quoque comprobavero. Annuit Hallfredus. Tum Thorkell: mea sententia est, ut cædes Galtii expietur cæde Einaris Thoreris filii, nec non visitatione Kolfinnæ, propter[1] discrimen dignitatis, sed pro carminibus famosis, quæ de Grise composuit Hallfredus, hic illi pretiosam aliquam rem dato. Tum Hallfredus carmen lusit:

Inauspicato confeci
pecunias virtute partas,

[1]) *fyrir*] sic B. *ok*, et, A, vitiose.

(Rex et Satrapes tinnulo
auro me donaverunt),
si culinæ studioso Grisio
pro carmine levissimo, pendam
semilibram auri, nulla soluta
multa tentatæ pudicitiæ[1]

Thorkell eum rogavit, ut turpes versus facere desineret: atque jam Grisi, inquit, aliquam rem pretiosam concede, etsi non sit ex regiis muneribus. Dedit Hallfredus annulum a Sigvaldio datum, quo facto digrediuntur. Hallfredus primo a comitiis austrum versus per montana equitavit, et in villa sua aliquantisper mansit parva cum lætitia. Mox tradita sorori Valgerdæ re familiari, boream versus in Skagafjördum vectus, navem in ostio Kolbeinsaæ instruit; eadem æstate, sero paratus, solvit Orkneyasque[2] attigit, statimque orientem versus in Norvegiam contendit; circa initium hiemis ab alto in Sognum delatus, res superiore anno gestas de novo comperit, tum statim carmen intercalare de rege Olavo composuit[3]. Tan-

---

[1]) Ordo: *Illrar tiðar hef ek fengit auðs alldrengila a), (gramr ok jarl hefir of b) framdan c) mik gjöllnu d) gulli), ef ek skal gjalda matvísum Grísi α) gjálfrteigs mörk fur minnstan verka, ok hefk eigi e) β) glapskuldir f).* Vide. Sk p. 2; C. 99.

a) *alldrengiliga*, id. B, F, Sk. 132. b) *ok*, B, 132. prave; *um*, id., S. c) *framan*, Sk. d) *goldnu*, soluto, numerato, Sk. e) *hef ek eigi*, 132; *hæfk*, Sk. f) *glapskyldir*, id., 132.

α) *gjálfr teigr*, area resonans, mare. Sed non dubito, quin, h. l. legendum sit *gjálfr-leigs* (ɔ: *leygs*), ignis marini, i. e. auri, ad quod versionem meam adtemperavi. β) ɔ: cum tamen mihi nulla irrogetur multa pro &c. *glapskuld*, a *glepja*, pellicere mulierem. Quo dicto oblique Grisio in mentem revocat suum cum ipsius uxore commercium.

[2]) Færeyas, S. [3]) *ok er þetta stefit í: Auð eru öll um orðinættlönd um gram dauðan; — allr glepst friðr af falli — fjölstyggs*

tum desiderium Olavi regis Hallfredum invasit, ut ex nulla re voluptatem caperet; quare nave austrum versus in Daniam, aut orientem versus in Sveciam proficisci constituit. In recessu quodam maris constituti cum delitescerent, Hallfredus, cognito, Eirikum dynastam Hakonis filium haud procul inde in terra se continere, animo agitavit, dynastam interficere, quamvis confestim periturus. Et nocte ab hoc consilio proxima, somniavit Hallfredus regem Olavum ad se venientem, et sic alloqventem: hoc, quod animo nunc agitas, Hallfrede, de interficiendo dynasta inutile consilium est; imo potius carmen intercalare de eo compone! Mane proxime seqventi Hallfredus, solus e navi in terram egreditur, donec in villam pervenit, ubi aderat Eirikus dynasta; mox cœnaculum adit, in quo dynasta potabat. Hic ab hominibus statim cognitus, confestim captus et ad dynastam ductus est. Dynasta eum ob mutilatum amicum suum, Thorleifum sapientem, interfici, quam celerrime colligari, domoque educi jubet. Cum vero compes Hallfredo injiceretur, prehensam e manibus injicientium eripit, libratamque capiti unius impingit ita, ut statim exspiraret. Heic dynasta hortari, ut eum quam citissime interficiant, ne plus mali faceret. Tum surgit vir senex, qui antea in scamno consederat, quem Thorleifum sapientem esse Hallfredus cognovit; is ad dynastam accedens pacem ei exposcit. Cui dynasta: id multo iniquissimum est, tu ut huic vitam petas et securitatem; meministine, quod mutilavit te, oculumque eruit tibi? Thorleifus: potestas fuit Hall-

---

sonar Tryggva, i. e. cujus hæc stropha intercalaris est: Vacua tota facta patria est, mortuo rege; pax omnis evanescit, interitu bellicosi Tryggvii filii; inserit F.

fredo in me pro lubitu consulendi; verum ille vitam mihi, insuperque alterum dedit oculum, injussu Olavi regis, seque ita periculo mei causa exposuit. Quare nunc velim, domine, ut Hallfredum mihi condones. Dynasta, ut vellet, fieri jussit. Tum Thorleifus Hallfredum ad se recepit, eique fatur: visn' tu nunc, Hallfrede, ut inter te et Eirikum dynastam litem decidam. Ego vero lubens, inquit. Proinde tu carmen in honorem dynastæ componas, ait Thorleifus, trium noctium spatio absolvendum. Hallfredus ita fore pollicitus; tribus elapsis noctibus, Eiriko dynastæ carmen attulit, cujus initium tale est:

Dignus es[1], bellicose princeps,
qui compositas de te laudes audias.

Dynasta, cum dignis carmine præmiis eum ornasset: nolo, inquit, te mecum diutius habere, Olavi regis causa. Tum eum Thorleifus domum suam invitavit, qua accepta conditione Hallfredus hiemem apud Thorleifum egit, parum sorte sua contentus, quamvis eum Thorleifus laute haberet eique summæ liberalitatis specimina exhiberet. Seqventi æstate navem in Islandiam paravit, post aliquamdiu commeatibus mercatoriis operam dedit, neque voluptatem unquam percepit, tantum enim conceperat ex decessu Olavi regis dolorem, ut neque in Islandia, neque in Norvegia commorari libitum esset; orientem versus in Sveciam profectus est, visurus Audgilsem filium opesque, quas ibi tuendas habuit, tunc enim decesserat Thorarr[2], socer suus. Hallfredus quadraginta annorum erat, cum opes suas petitum in Islandiam proficisceretur, sedem in Svecia deinceps

[1]) *ber ek*, profero (laudes de te &c) S. in append. p. 20.
[2]) *Þar*, ibi, B.

fixurus socios itineris habuit fratrem Thorvaldum filiumque Hallfredum, illi difficiliori usi sunt navigatione ob tempestates marisque sævientis vim. Hallfredus, etsi gravi morbo laboravit, tamen sentinæ pro virili exhauriendæ non defuit. Quem aliquando, cum ab opere recessisset, in pertica veli considentem unda irruens in navem dejecit, perticamque illi impegit. Thorvaldo, ecquid mali ei accidisset, percontanti, carmine respondit:

Afflixit incitatus vento fluctus
meo, qua cor est, lateri perticam
veli; qui quidem alias magnum
congessit undæ cumulum.
Unda meam vexat navem;
magnopere sum madidus;
unda, humore perfusa,
poëtæ non parcet suo[1].

Thorvaldus eum morbo laborare intelligens, in posteriorem navis partem deduxit, ibique strato lecto, quæsivit, quid de vi morbi animo præsagiret. Ille cecinit:

Panni lintei nympha sedula
candida manu palpebras

---

[1]) Ordo: *Hreggblásin* a) *úðr* b) *hnauð ási við hjartasíðu* c) *mèr* d), *hefir at öðru mjök áflat* e) *búruskafli* f). *Marr* g) *skótar* h) *mínum knerri; ek er mjök vátr; úrþvegin* i) *aldan munat at* k) *nökkvi* l) *ora* m) *sínu skaldi.* Vide Sk append. p. 21.

a) *hreggblásit*, id., Sk; *hreggblásnum*, vento incitatam (perticam), 132. b) *yðr*, C, S, Sk, 132, vobis. c) *hjarta ok síðu*, cordi et lateri, 132. d) *væri*, prave, Sk. e) *áflast*, S, Sk, passive. f) hos duos versus ita exhibet 132: *sva hefir yðr at öðru úfall tekit varla*, ita alias quidem fluctus in navem vestram vix irruit unquam. g) *meirr*, 132, h) *skotrar*, id., Sk. *hnauð*, 132. i) *vrþægin*, 132; *úþvegin*, illota, impura, C; *útr þvegin*, bene lota, Sk. k) sic Sk; *af* A, S; *of*, 132. l) *nakkvi*, S. *látinn*, factus, 132, al. *af lotum*, impetu aquarum. m) *eira*, id., B, C, F, S, 132, *eyra*, Sk.

molles absterget (femina enim
egregiam indolem nacta est),
si arboris funestæ columina
me mortuum demittent
ex navi; ante teneræ puellæ
curas pepereram graves[1].

Tum Hallfredus filio Hallfredo: tibi, inquit, fili, ensem, regium munus, donare volo, cetera autem quæ ab Olavo rege muneri cimelia accepi, una mecum in loculum funebrem, si heic in nave mortuus fuero, recondantur. Tum hoc versus fudit:

Jam sine sollicitudine
morerer, si animæ meæ
bene consultum scirem; juvenis
durius usus sum lingua,
scio me nulla re moveri,
solaque metuere tartara;
penes deum esto, ubi degam
ætatem; moriuntur omnes[2].

---

[1]) Ordo: *a) fjölerrin a) hör-dúks b) rind c) mun d) þerra hvítri hendi úm e) mjúka f) brá sèr g), (fljóð gat fremdar æði h)): ef β) morðheggs i) meiðar skulu) k) leggja mik dauðan út l) um borð; ek var áðr úngu fljóði m) at sútum.* Vide Sk. append. p. 21.

a) fjölerrit, S, quod referri potest ad *rind*; *fjölerui*, 132, perper. *farlerrinn*, monstr. B; *frábærinn*, egregius, C; *fjöld enni*, contra metr., Sk. *b) hárdúks*, capitegminis, B; *hördúk*, Sk. *c) rindr*, id., C; *grund*, tellus, F, S, Sk; *sprund*, femina, 132. *d)* sic omnes; *brá* A, quod, propter sequens *brá*, incuria librarii, repetitum videtur. *e) sem*, Sk. corrupte. *f) strjúka*, mulcere, Sk. *g)* sic Sk; *mèr*, minus apte, A; *mjög*, valde, 132. *h)* sic F, Sk; *jóði*, proli, A; *orði*, 132, al. *óði*. *i) morðveggs*, clypei, 132; *norðheggs*, vitiose, B. *k) í land*, in terram (me deportent), B. *l) umt*, prave, 132. *m) úngum fljóðum*, teneris puellis.

α) Sensus est: amica mea, cum mortem meam audiverit, lacrimas fundet. *β)* pugnatores, viri.

[2]) Ordo: *Ek mundu nú senn a) andast sorglaust b), ef c) ek*

Hoc ipso die Hallfredus mortuus est; qui, ut præceperat, loculo conditus, simulque cum eo cimelia ejus, regis munera, amiculum, annulus et galea; deinde loculus e navi ejectus est. Quem in insulam Sanctam in Sudreyis (Hebudibus) ejectum, famuli Abbatis, qui ei loco præfuit, invenere. Hi loculum effregerunt, res diripuerunt, funus Hallfredi in paludem quandam demerserunt. Abbati vero proxima nocte visus in somnis est rex Olavus, vultu irato se accedens his verbis: famulos habes malos, qui navem poëtæ mei[1] fregerunt, opes ejus rapuerunt, ipsum autem, lapide collo alligato, in paludem demerserunt. Nunc quæstionem de iis habete, alioquin nulla non vobis prodigia accident. Abbas expergefactus famulos comprehendi jussit. Qui in crimen vocati cum rem extemplo faterentur, pœna iis condonata est. Funus Hallfredi repertum et honorifice in templo sepultum est; ex annulo calix confectus est, ex amiculo bombycino stragula altaris, e galea lychnuchi. Ejusdem æstatis autumno Thor-

---

vissa sálu minni borgit; *úngr var ek harðr í túngu.* *a*) *Ek veit, at d*) *of sýteg e*) *vœthi, nema hrœðumst f*) *helvíti*; *valdi guð, hvar g*) *aldri skal slíta*; *dauðr verðr hverr.* Vide Sk. in append. p. 22.

a) *sönn*; S. *b*) *sirglaust*, Sk. *c*) sic B, C, F, S, Sk; *af*, A. *d*) om. Sk. *e*) *um sýting*, prave, Sk. *f*) *í hörðum*, Sk. *í hörðu*, S, pro *nema hrœðumst.* *g*) *hvart*, utrum, S; *hvört*, id., Sk.

α) sec. var. l. *f* talis ordo et sensus existit: *ek veit, at vœthi of sýteg*; *dauðr verðr hverr*; *valdi guð, hvárt aldri skal slíta í hörðu helvíti*, o: scio me nihil metuere; omnibus enim moriendum; penes deum esto, utrum vita mihi in sævo tartaro degenda, necne. Etiam vocula *nema*, quæ in textu est, per nec, id. q. *nè*, reddi potest, ut sit sensus: equidem nulla re moveor, ne tartara quidem ipsa metuo.

1) i. e. loculum funebrem, quo vectum funus Hallfredi oras insulæ attigerat (locus de somniorum natura notabilis).

valdus ac sui Islandiæ redditi, hiemem Ottarstadis transegerunt. Deinde Thorvaldus peregre profectus est, Hallfredus vero villicationem instituit et Ottarstadis habitavit; hic quoque Difficilis-poëta, ut pater suus, appellatus est; idem vir illustris magnique nominis evasit, multosque habuit nepotes.

[Mors Sveinis regis].

Cap. 265. Sveinn Furcobarbus, Danorum rex, cum in parte regni, quam in Norvegia post pugnam Svöldricam obtinuerat, pro portione Olavi Svionum regis et Eiriki dynastæ, præfectos constituisset, austrum versus in Daniam profectus regni sui curas resumebat. Post non ita multo, exercitu occidentem versus in Angliam trajecto, bellum intulit regi Adalrado Jatgeiris filio, qui multis præliis, vario marte, inter se dimicarunt. Tandem rex Adalradus e regno profugit, quod Danorum rex armis potitus, aliquot hiemes sub sua potestate cum Danorum copiis tenuit. Sed nonum post annum, quam Serpens longus ab Olavo rege præ Vindlandia expugnatus est, accidit in Anglia, ut rex Sveinn noctu in lecto subita morte diem obiret; quem Angli ab rege Jatmundo sancto eodem modo interfectum tradunt, quo a Mercurio gigante Julianus apostata interfectus sit. Quo cognito, rex Adalradus, qui tum in Flæmingia fuit, in Angliam reversus, cum magna hominum multitudo ad eum conflueret, regnum recuperavit; quo duos post annos mortuo, Jatmundus filius regnum Angliæ suscepit.

[Obitus Eiriki Dynastæ].

Cap. 266. Knutus, filius Sveinis Daniæ regis, mortuo patre, regnum suscepit. Is hac ipsa æstate, postquam rex Adalradus mortuus est,

exercitum in Angliam transmittendum comparavit. Tum rex Knutus nuntium Eiriko dynastæ, Hakonis filio, affini suo, in Norvegiam misit, orans, ut se cum copiis occidentem versus in Angliam comitaretur. Namque Eirikus dynasta insignem consecutus erat ex expeditionibus bellicis gloriam, et quod ex duobus præliis acerrimis, quæ quidem in septemtrione gesta sunt, victoriam laudemque reportaverat: quorum unum, quod ipse cum patre Hakone adversus piratas Jomenses commiserat, alterum, quod cum rege Olavo Tryggvii filio fecit. Hujus legationis meminit Thordus Kolbeinis filius in carmine intercalato de Eiriko:

Incipio deinceps laudem, ubi viros,
gratia valentes bellicosi principis
præfectorum, fando audivi
misisse Satrapæ nuntium:
ut, pro devotissimo officio,
Eirikus venire teneretur
ad eorum amicum conventum;
consilium intelligo regis[1].

[1]) Ordo: α) *Enn a) hefk b) leyfð c), þar er ek frá lofða d), lofkenda at hjálm-sömum hilmi hjarls e) drottna f)*, β) *sendu g) boð jarli: at Eirikr skyldi skuldligast h) koma i) endr at k) þeirra-ásta fundi l); ek skil hvat gramr mun m) vilja.* Extat Hæc stropha in append. Sk. p. 35. Hkr. VII, C. 23.

a) *ek*, ego, Sk. b) *hefz*, incipit, Hkr. *hefir*, incipio, Sk. c) *leyfk*, B, vitiose; *leifs*, piratæ, Sk. v. 5. d) *lofka*, vitiose, B. e) *hjallr*, Sk, ɔ: *leifs hjallr* (hjaldr), sonitus piratæ, pugna; ejus *drottinn*, dominus pugnæ, imperator. f) *drottins*, B, regni præsidis, i. e. regis. g) *senda*, mittere, Hkr. h) *skyldugast*, id., B; *skyldiliga*, id., Sk. i) sic Hkr; *kom*, A, prave; *komo*, Sk. k) *til*, id., Hkr. l) *funda*, in plur., Hkr. m) *lètz*, simulabat, vel dicebat se, Hkr, Sk.

α) vel sic redige: *enn hefk leyfð lofda* (principis i. e. Eiriki Satrapæ), *þar er ek frá hjarls drottna, lofkenda at hjálm s. hilmi, sendu* &c. *hjarls drottnar*, domini terræ, h. l. viri principes,

Quo nuntio Knuti regis, affinis sui, permotus dynasta iter ad exteros comparat, relicto ad regni custodiam Hakone dynasta, filio suo, quem fidei commiserat Einaris Thambarskelferis, affinis sui, qui regnum pro Hakone administraret, nato quippe non amplius annos sedecim; Sveinn vero dynasta dimidiam regni partem tenuit. Eirikus dynasta in Angliam ad Knutum pervenit, et cum eo fuit, cum urbem Londinorum cepit. Heic Ulfkelem Snillingum (Magnatem) prostravit. Cujus rei meminit Thordus:

Auri adquisitor prælium
conseruit ab occidente
Londini; clarus dux navis
pugnando regna subjecit sibi.
Ulfkelus, audax in clypeorum
procella, terribiles ictus accepit
a præsidiariis viris, ubi
fremuerunt livida tela virorum[1].

Eirikus dynasta unam hiemem in Anglia trans-

in legationem adhibiti a Canuto. β) de hac forma vide supra p. 125 (Text. isl.)

[1]) Ordo: *Gullkennir lèt α) samanbundit gunni fur vestan Lundún; leyfðr β) þundr græðis hests a) vá til landa. γ) Rönn b) -regn-þorinn c) Ulfkell d) fèkk ygglig e) högg af f) þingamönnum, þar er blár g) eggjar rekka skulfu.* Extat in append. Sk. p. 36. Hkr. VII, C. 23.

a) *hest*, B, Hkr, Sk, ɔ: *lèt samanbundit græðis hest* (subint. *at*) *gunni fur vestan Lundún*, copulavit navem in prælio, ɔ: junxit naves, prælium navale commissurus; tum *þundr* abs. vir. b) *rann*, id., Hkr, pro *rand*. c) *þorins*, audacis ɔ: bellatoris, Eiriki; Hkr, Sk. d) *Ulfkels*, B, Sk. e) *ugglig*, id., Sk. *ýglig*, id., Hkr. f) *of*, Hkr. g) *bláar*, id., Sk.

α) *binda saman gunni*, prælium conserere, insolentius quidem dictum, pro vehementiorem pugnam ciere, sed quodammodo convenit cum locutione, qua dicitur pugna coarctari (*festast*), cum densius & atrocius res geritur, contra laxari (*losna*), quando

egit, ibique aliquot prælia gessit, post autem altero autumno Romam proficisci constituit. Quod iter antequam ingrederetur, medicum, qui uvulam præcideret, arcessivit. Qui cum, qua abscideret, destinaret, vir ad eum accessit, quem nonnulli regem fuisse Knutum perhibent; plures, unum fuisse ex iis, qui in Serpente cum Olavo rege fuerunt. Hic vir medico: ibi ego, inquit, aliquanto plus[1]. Cui medicus: qvanto? Ille contra: sic, ut ne opus sit sæpius |quam hac vice abscidere. Quo dicto abiit. Cujus monitis obsecutus medicus, plus uvulæ abscidit, quam antea cogitaverat; quare sanguis| tanto erupit impetu, ut sisti non posset. Quo factum est, ut Eirikus dynasta mortem obiret, tum tredecim elapsis hiemibus, ex quo |adversus regem Olavum Tryggvii filium præ Vindlandia pugnaverat.

De fuga Olavi regis e Serpente longo.

Cap. 267. Nunc orationem convertemus ad relationes, quæ confirmant, regem Olavum, expugnato Serpente, vivum e prælio evasisse. Hæc relatio est Astridæ, uxoris Sigvaldii dynastæ: regem Olavum post prælium eadem celoce, cujus supra facta mentio est, in Vindlandiam transportatum. Idem multa, eaque levia pleraque, acceperat vulnera, præter duo, cæteris aliquanto graviora, unum in fronte, ictu lapidis inflictum, alterum in brachio, sagitta volante[2] in manicam loricæ; [quod cum

sparsius & remissius. β) i. e. navigator, vir ɔ: Eirikus. γ) *rönn-regn*, accipio pro *rönd-regn*, & hoc pro *randa-regn*, pluvia clypei, jaculatio, pugna; *þorinn*, audax.

[1]) *meirr*] *ofarr meirr*, superius B. quo loco *meirr*, cum comparativis adverbii eleganter redundat, e. gr. *nær meirr*, *firr meirt*; *fyrr meir*, *siðar meir*.

[2]) *öru fljúgandi*] *örn flugan*, insolenter A; *örva flug*, volatu sagittarum, S.

eo congruit[1], quod supra memoratum est, Kolbjörnem[2] aulæ-magistrum et nonnullos alios in Serpente sangvinem vidisse e manica loricæ[3] Olavi regis profluentem. Einar vero Thambarskelfer id extremo tempore de Olavo rege animadvertit[4], quod guttæ sangvinis e galea in genam regis deciderunt. Rex Olavus cum Astrida versatus, tumque sanatus est; ibi a multis cognitus est. Cui cum viri potentiores operam suam pollicerentur, ut in regnum restitueretur, negavit se cum patrinis suis dimicaturum; puto enim, inquit, placere deo, ut nunc regnum Norvegiæ teneant; verendum quoque est, ne deo mea in administrando regno opera displicuerit. Tum ei Astrida possessiones et ditionem obtulit, quæ ipsi in Vindlandia fuerunt, neque in Sigvaldii erant potestate. Ille se velle negavit. Tum Astrida: Visne, ut te ad Adalradum Angliæ regem comiter, qui te, quippe amicissimum sibi, quantis volueris honoribus mactabit. Hoc quoque rex negavit. Astrida pergit: quid tibi feram auxilii, quod a me accipere velis? Ille se Romam velle proficisci ostendit. Tum ea, viatico diligentissime parato, ipsa cum tredecim comitibus eum comitata est usque ad Rhenum, et digrediens equo pecuniis onusto multisque aliis eximiis muneribus donavit. Astrida, traditis Olavo regi octo de comitibus suis, cum quatuor viris reversa est. Ille austrum versus Romam contendit; in quo itinere magnus ad eum confluxit hominum numerus, quippe qui, Norvegicum mercatorem[5] professus, interpretem age-

1) *þetta þvi*] *hvårttveggja við þat*, utrumque cum eo, C, S. 2) Kolbeinem, F. 3) quæ inde a signo] sunt add. B, C, S; absunt in A. 4) *sá*] *sagði*, vidit, B. 5) *ok pilagrimr*, et peregrinatorem, add. C.

ret omnium peregrinatorum, qui ad eum veniebant.

Cap. 268. Rex Olavus, Pontificem Romanum conveniens, omne suum consilium, et quis esset, ei aperuit. Sic Astrida relationem suam concludit. Deinde Olavus, trajecto mari, Hierosolyma adiit, ibique patriarcham et regem Hierosolymitanum convenit, qui eum summo honore acceperunt, dignitatem ejus admirati, quod e vultu ejus nobilitatem generis indolisque excellentiam perspiciebant. Quibus cum aperuisset, se regem in patria appellatum, magnam ei ditionem obtulerunt, quam ille accipere noluit. Tum ei duas urbes et tria castella dederunt, quæ accepit, sumto tamen monachi habitu.

Rex Olavus Erlingo Skjalgi f. cultrum et zonam mittit.

Cap. 269. Quum Olavus Tryggvii filius quinque hiemes Norvegia abfuerat, homines quidam Angli Hierosolyma adierunt. Qui in Angliam reversi, regi Adalrado librum attulerunt, quem ipsis Olavus Trygvii filius tradiderat et regi Adalrado miserat, evidentibus tesseris additis. Eo libro continebatur historia regis Olavi Tryggvii filii, aliæque sex[1] vitæ sanctorum hominum. Heic clare demonstratum est, qua ratione rex Olavus e prælio evaserat, deindeque de itineribus ejus eodem plane modo, atque dixerat Astrida et mox ante commemoratum est, idque eo magis, quod hic luculenter notatum est, in celoce illa Vendica, qua rex Olavus in terram deportatus est, fuisse Astridam, sororem Geiræ reginæ, quam in matrimonio rex Olavus habuerat, item Dixinem, amicum regis Olavi, qui consiliarius

1) septem, F.

Geiræ reginæ fuerat. Præterea, hoc commune fuisse Olavi regis et eorum omnium consilium, cum bis ea die in colloquium ejus venerant, ut ibi navigium seorsim[1] tenerent, in eum finem donec prælium finitum esset. Ibidem relatum est, hos omnes, postquam in Vindlandiam pervenerunt, duo dies Bustaburgi una fuisse. Relatum quoque est, circa id tempus, quo hic liber ad Adalradum Angliæ regem perlatus sit, virum sapientem bonæque fidei, de cujus nomine hoc loco non proditum est, in Norvegiam venisse, qui se [ab Olavo Tryggvii filio[2] ad Erlingum affinem ejus sororemque Astridam missum ferebat. Hic regem Olavum vivere atque trans mare in monasterio degere narravit. Idem, quo relationem suam confirmaret, annulum, cultrum et zonam habuit, quæ Astridæ traderet, dicens ea ipsi a fratre Olavo mitti. Quæ se probe cognoscere testata est, has res regi Olavo fuisse.

[*De rebus Olavum inter et Dynastas Sveinem et Hakonem intercedentibus*].

Cap. 270. Dynasta Sveinn Hakonis filius et Hakon Eiriki filius, cum Norvegiæ præfuerunt, cum Erlingo Skjalgi filio compositionem fecerunt, ea pactione confirmatam, ut Aslakus Erlingi filius Gunnhildam, filiam Sveinis dynastæ, uxorem duceret; Aslakus et Erlingus, filius et pater, omnia commoda, ipsis ab Olavo rege concessa, retinerent. Quo facto, Erlingus in intimam amicitiam dynastarum pervenit, quam insuper jurejurando inter se confirmarunt. Quum vero dynastæ, Sveinn et Hakon, duas hiemes Norvegiæ præfuissent, ex quo Eirikus dynasta peregre profectus est, Olavus Haraldi

[1]) *við eyna*, ad insulam, add. C, F, S. [2]) add. C, F; abest in A.

filius, mari occidentali trajecto, in Norvegiam pervenit. [Qui cum ex Anglia solvisset, ex alto delatus ad insulam Sælam (salutem v. tranquillitatem) dictam, extra Stadum sitam, appulit[1]; hinc austrum versus ad Ulfasunda (freta luporum) vectus, cum Fjalas præterlatus esset, cursu de itinere communi ad interiora deflexo, duas habens naves mercatorias, singulas sexaginta militibus instructas, ad Saudungssunda pertendit, ibique ad ancoras stetit. In eodem freto rex Olavus Hakonem dynastam Eiriki filium cum magna suorum multitudine vivum cepit, quibus omnibus rex Olavus vitam securitatemque concessit, ea lege, ut dynasta Hakon regnum, quod sibi in Norvegia vindicaverat, regi Olavo concederet; dynasta regi juramentum præstitit, se nunquam adversus eum dimicaturum, neque Norvegiam armis contra eum defensurum, neque eum bello persecuturum. Hæc quatuordecim[2] hiemibus post pugnam Svöldricam gesta sunt. Sequenti vere rex Olavus et dynasta Sveinn Hakonis filius, dominica palmarum, ante Nesa (promontoria) conflixerunt. In quo prælio Erlingus Skjalgi filius et Einar Thambarskelfir multique alii viri præfecti a partibus Sveinis dynastæ steterunt. Rex Olavus, etsi inferior numero copiarum, discessit superior. Sveinn fugatus ad socerum suum, regem Svionum profugit, eique de rebus cum Olavo Crasso gestis exposuit. Sveinn dynasta mare orientale (Balthicum) classe intravit et ea æstate Gardarikiam infestavit, autumno autem, cum in Sveciam revertisset, implicitus est in morbum, quo diem obiit supremum. Olavus vero Haraldi filius rex Nor-

[1]) *Hann lendi fyrst við eyna Seljo*, primum ad insulam Seljam appulit, S. [2]) septemdecim, C.

vegiæ creatus est, ut in historia ejus memoriæ proditum est.

[*Relatio Thordi Sjareki filii de rege Olavo Tryggvii filio*].

Cap. 271. Vir quidam, nomine Thordus Sjareki filius, natione Islandus, regnante Olavo Sancto, patria relicta, Hierosolyma adire constituit. Qui, mari trajecto, cum in Syriam pervenisset, die quodam accidit, cum unacum multis peregrinatoribus oppidum quoddam præteriret, ut in interstitio quodam pinnarum stantem videret hominem valde procerum et ingentem, qui, sago indutus, muro innitebatur. Vir sagatus danico sermone quæsivit, ecqui essent in ea caterva Normanni. Illi Normannos ibi esse ajebant: Thordus se ab Islandia advenisse ostendit. Vir sagatus se nosse dixit, ubi ea terra esset, et de Hjaltio Skeggii filio quæsivit. Thordus se affinem esse Hjaltio professus est. Tum ingens ille vir, quo proficisci cogitarent, percontatus est. Thordus Hierosolyma cogitare significavit. Gradum referte, ait vir sagatus; illo enim proficiscentibus infesta bellis itinera sunt. Tum vir sagatus, quis rex Norvegiæ esset, interrogavit. Thordus Olavum Haraldi filium esse dixit. Vir sagatus: salutem meam in Islandiam reversus Hjaltio Skeggii filio perfer. Thordus: quid Hjaltio referam, quærenti, quis se salvere jusserit. Nomen meum tibi non indicabo, ait vir sagatus, illud vero ei referas licet, salutari ab eo, qui Hladis in Norvegia cum eo colloquens gladium tenuerit, quem Hjaltius manibus suis inter meas manus medium arripuit; quo facto in Islandiam trajecit, nunquam mihi postea visus. Quibus dictis, finem colloquendi fecerunt. Thordus, itinere ob motus bellicos reflexo, cum in Islan-

diam pervenisset, Hjaltio hanc rem retulit. Hjaltius vero sic dixit, inter se et regem Olavum Tryggvii filium, antequam Hladis digressi essent, de hoc signo convenisse, quo uterentur tesseræ loco, si qua de re postea inter se per internuncios agerent; Thordus Sjareki filius erat vir probatæ fidei, prudens et poëta. Idem carmen funebre, dictum Róda-drápa, de rege Olavo Sancto composuit.

[*De rebus inter regem Olavum et Erlingum intercedentibus*].

Cap. 272. Postquam certa in Norvegiam fama perlata est de obitu dynastæ Sveinis Hakonis filii, potentiorum complures regi Olavo Haraldi filio se addixerunt, cui quidem, quamdiu dynastam in vita existimabant, officium præstare noluissent. Rex Olavus hanc hiemem Nidarosiæ in boreali regni parte egit. Sequenti vere in partes orientales profectus est; cum autem rex navem in freto Karmensi teneret, per internuntios cum Erlingo Skjalgi filio egit, ut pacem inter se componerent, constituto in Hvitingseya pacificationis conventu. Qui cum de compositione agere cœpissent, Erlingus postulavit, ut omnia sibi ab rege Olavo Tryggvii filio præstita commoda teneret. Rex autem nullam cum eo inire voluit gratiam, nisi ipsi liceret pro arbitrio et commoda distribuere et alias res decernere. Quam rem Erlingus invitus fecit ut concederet, tandemque precibus ductus cognatorum et amicorum, regis Olavi ministerio se addixit, iis conditionibus, quas rex pro lubitu constituit. Quibus actis digrediuntur, gratia verbo reconciliata. Sic autem Erlingus Skjalgi filius potentiam suam retinuit, ut a mari Sognico usque ad Lidandisnesum plenam in rusticos potestatem exerceret, regia autem salaria multo minora haberet, quam

antea. Tantus tamen terror ejus fuit, ut nemo nec loqueretur nec faceret aliud, quam ipsi placeret, neque præfecti regii aut procuratores, quibus rex commoda ab Erlingo ante usurpata tradidisset, potestatem suam ibi exercere potuerint. Rex Olavus, nimiam fore Erlingi potentiam prævidens, eum ad se arcessivit. Viri benevoli, utrique amici, intercedebant, et, ut in gratiam redirent, hortabantur. Quibus hortantibus factum est, ut inter eos ita conveniret, ut Erlingus iisdem omnibus commodis frueretur, neque amplius quam ei rex antea dederat; crimina vero, quæ in Erlingum rex Olavus intenderat, remitterentur; Skjalgus Erlingi filius regi Olavo adhæreret; Erlingus liberam agendi potestatem concederet viris, quos rex provinciis præfecisset aut procuratores suos constituisset. Jamque sic, nomine reconciliati, digrediuntur. Tum Erlingus ad villas suas reversus, pristino munificentiæ more usus est. Atque sic res tenuit usque eo donec Erlingus ac filii, cæso Thorere Selo, copias contraherent; quo facto, cum mille quingentis viris boream versus Ögvaldsnesum profecti, Asbjörnem Selicidam e vinculis et potestate regis eripuerunt. Cujus rei exitus fuit, qualis in historia regis Olavi perhibetur. Natum inde dissidium in gravissima odia erupit.

[*Internuncii inter Knutum regem et Olavum regem*].

Cap. 273. Cum rex Olavus Sanctus decem hiemes Norvegiæ præfuerat, ex quo dynasta Sveinn e regno profugit, venerunt [ad eum[1] legati Knuti Potentis, in mandatis habentes, Knutum sibi totum Norvegiæ regnum vindicare.

[1]) *vestan um haf af Englandi*, per mare occidentale ex Anglia, C.

Hi regem Olavum[*] Tunsbergi convenientes, litteras Knuti regis, hæc testantes, ei attulerunt. Sed negavit rex Olavus se regnum dediturum; quo facto legati rediere. Rex autem Olavus æstatem in Vikia, hiemem Sarpsburgi transegit; Knutus vero in Dania se continebat. Eadem hieme rex Önundus[1] in Gothiam orientalem pervectus cum ter mille viris est; hic et rex Olavus[2] Konungahellæ (Regiomonti) in Albi Gothorum convenere ibique consilia inter se contulerunt. Postquam rex Knutus exercitum in Angliam reduxerat, affines amice digrediuntur: rex Önundus in Gothiam revertit, rex Olavus in Vikiam, indeque in regni partes boreales contendit. Diu ventum secundum exspectans in Eikundasundo moratus, rescivit, Erlingum Skjalgi filium & incolas Jadarenses copias contrahere, magnumque coëgisse hominum numerum. Erlingo ingens fuit navis bellica, triginta et duorum interscalmiorum, magnitudine tamen exsuperante, qua in expeditionibus piraticis aut ad conventus publicos obeundos uti solebat, ducentis classiariis aut amplius instructa.

[*Expeditio Knuti regis in Norvegiam*].

Cap. 274. Rex Olavus, quam primum secundus se obtulit ventus, ex Eikundasundo boream versus Jadarem classe præterlatus, convivia per Hördalandiam obibat. Sequentem hiemem in emporio boreali (Nidarosiæ) transegit, quæ regni sui tredecima[3] fuit. Insequente vere, copiis ex toto regno evocatis, ex Nidarosia solvit et austrum versus littora legit. In Hördalandiam delatus, cognovit, Erlingum

1) *Svíakonungr*, Svionum rex, C. 2) *um vorit*, hoc vere, add. C. 3) rectius duodecima; idem error post cap. 282. occurret.

Skjalgi filium occidentem versus in Angliam magno cum exercitu ad Knutum regem profectum, quatuor secum aut quinque naves duxisse, ipsum ingenti illa nave bellica vectum. Hac æstate reges Olavus et Önundus Daniam infesto exercitu invaserunt, ut in historia Olavi regis memoriæ proditum est. Rex Olavus autumno, relictis navibus, pedes in Norvegiam revertit, et hiemem ultra festum Jolense Sarpsburgi egit, deinde in Upplanda concessit. Erlingus Skjalgi filius natique sui omnes præcedente æstate in exercitu Knuti regis fuerant; autumno Erlingus cum copiis in Norvegiam profectus est, et cum eo legati Knuti regis, qui largitionibus et speciosis Knuti nomine pollicitationibus regnum & subditos ab Olavo rege abalienarunt, freti opera Erlingi. Rex Olavus sequente vere ex Upplandis in Vikiam rediit, ubi diu Tunsbergi egit, et misit, qui naves suas ex Svecia deducerent. Prima æstate rex Knutus cum toto exercitu in Norvegiam pervenit, non pauciores, quam mille & ducentas (mille quadringentas & quadraginta) naves habens. Quam classem universam ex sinu. Limico deduxit, et boream versus in Vikiam contendit. Magna utens celeritate nuspiam ab orientali[1] sinus parte ad terram appulit. Rex Olavus Tunsbergi fuit, quo tempore per exteriora sinus Foldensis rex Knutus navigavit. Knutus aliquamdiu classem in Eikundasundo tenuit; huc ad eum Erlingus Skjalgi filius cum numeroso exercitu pervenit, atque cum Knuto rege amicitiam de integro junxit. Inter cætera promissa Knutus Erlingo pollicitus est, ut præfecturam inter Stadum et Rygjarbitum teneret. Deinde Knutus in Thrandheimum usque con-

[1]) *austan*] *innan*, interiori, C.

tendit, totumque regnum, nemine contra dicente, sibi subjecit, cujus totius præfecturam tradidit dynastæ Hakoni Eiriki filio, cognato suo. Tum rex Knutus austrum versus littora legens, conventus in singulis provinciis habuit; et in singulis conventibus rex creatus, eique ut totius regni domino juramentum præstitum est.

Cap. 275. Rex Olavus, adductis ex Svecia navibus, classem in sinum Osloënsem indeque in lacum, dictum Randam[1] deduxit, ibique se per æstatem continuit, donec rex Knutus austrum versus in Daniam reversus erat; tum rex Olavus naves suas Tunsbergum duxit. Deinde iter boream versus cum copiis, quæ sequi eum volebant, instituit, tredecim habens naves; qui cum ad exteriora per Vikiam, ineunte hieme, tenderet, vento secundo tardius adspirante, diu admodum in Soleyis ad ancoras stetit; hic cognovit rex, Erlingum ingentes in Jadare copias cogere, paratamque ante littus stare navem bellicam, quæ ei fuit, magnumque præterea aliarum navium numerum, quæ colonis fuerunt. Rex cum copiis ab oriente longius profectus, aliquantisper in (freto) Eikundasundo moratus est; hic utrisque de alteris invicem per speculatores innotuit; quare Erlingus quam maximas contraxit copias.

[*Prælium inter regem Olavum et Erlingum*].

Cap. 276. Die S. Thomæ sacro ante festum Jolense, ut primum illuxit dies, rex Olavus e portu solvebat, commodo satis, vehementiore tamen spirante vento; ut primum exteriora navigavit rex, superiora mox per Jadarem speculatores ivere. Mox Erlingus, signo tuba dato, copias omnes jussit naves adscendere; quare cuncti ad naves properantes præ-

1) *Rönd*] sic A, C; *Drafn*, Hkr.

lio se accinxere. Naves regiæ cito Jadarem prætervectæ sunt; tum rex cursum ad interiora flexit, sinus intraturus, ut copias sibi ac commeatum pararet. Quem Erlingus persecutus est, ingenti exercitu et magno navium numero comitatus. Horum naves, utpote viros armaque sola ferentes, celeri cursu ferebantur[1]; sed ceteras naves celeritate longe antecessit navis bellica Erlingi, qui idcirco summa parte veli ad antennam contracta[2], copias suas opperitus est. Rex Olavus videns, Erlingum magno studio se persequi, cum naves regiæ multum essent oneratæ atque aqua turgidæ, quippe quæ totam per æstatem, autumnum hiememque totam, ad illud usque tempus aquis innatavissent, intelligensque iniquum certamen futurum, si omnibus simul copiis Erlingi obviam irent, clamore, qui ab altera ad alteram navem audiri posset, significari jussit, ut infima pars veli funiculo manuali contraheretur[3], id quod factum est. Erlingus illico animadvertens, vela adversariorum minui, suos inclamans hortatus est, ut cursum intenderent: videtisne[4], inquit, eorum jam minui vela, eosque nobis subtrahi. Quo dicto, superiorem veli partem vinculis evolvi jussit, quare navis sua mox celeri cursu ceteras antecessit. Rex Olavus juxta interiora littora Boknæ cursum direxit, quare sublatus est inter eos conspectus. Tum rex jussit, velis demissis, classem remis agitari in fretum, ubi naves junxere; heic ab exteriore parte exiguum quoddam promontorium excurrit, ita ut Erlingus in fretum

---

[1]) *örskreið*] *örskeið*, C; eodem sensu, si extat, *askeiða*. [2]) vide Scripta Soc. litt. isl. Tom. 3, pag. 236. [3]) vide Scripta Soc. litt. isl. l. c. ubi *hálsan* idem est ac h. l. *handrif*; *landrifi*, S, prave. [4]) *sèð*] *sjái*, id. C, S.

navigans, classem eorum animadvertere non posset, antequam classiarii Regis omnes naves in eum agitarunt. Heic acerrimum prælium ortum, in quo omnes Erlingi copiæ penitus adeo prostratæ sunt, quæ in navi erant, ut ipse solus vivus restaret, qui tanta se fortitudine defendebat, ut nemo exemplum sciret viri, qui unus tot hominum impetum tamdiu sustinuerit; neque fugam unquam circumspexit, donec rex, ut se dederet fidemque suam sibi obstringeret, hortatus est; quod annuens, depositis armis, cum caput galea nudasset, aperte invito rege Olavo interfectus est, quemadmodum in historia ejus memoriæ proditum est.

[*Characterismus Erlingi*].

Cap. 277. Communi hominum judicio Erlingus existimatur vir maxime fuisse insignis omnium Norvegorum, qui honoris titulo non fuerint insigniti, primo quidem ob generis connubiique nobilitatem, animi corporisque dotes, artium peritiam, possessiones et divitias, munificentiam et potentiam: deinde quoque, quod se fidum et salutarem consultorem præbuit omnibus subjectis sibi, qui potestati et dominio ejus se plene subjecerunt. Tanta autem usus est in viros potestate præpollentes impotentia et dominandi libidine, ut ægerrime ferret, si cui principi subjectus esset, nisi quicquid rogavisset, impetraret, tam ditionem quam res alias, omniaque suo arbitrio gererentur. Cui impotentia sua fatalis extitit, quippe qui, ut res docuit, nullum in agendo servaret modum, cum nimia usus festinatione, properandique abreptus studio, regem Olavum Tryggvii filium, affinem suum, nave sua bellica prævectus

desereret, quem æque libenter[1] voluisset comitari, atque vita frui. Et nunc altera vice, cum immoderata vehementia se in mortem tantopere præcipitaret, ut eadem nave longe ante reliquam classem vectus in medios hostes ferretur. Neque mirum, si ei impotentia sua exitio fuit, qui, cum rustici esset filius, tantum sibi sumeret, ut cum tam illustri principe, qualis fuit Olavus Haraldi filius, cum quo bis vel sæpius fecerat pactionem, contenderet. Hos quoque talis intercessit affinitas, ut rex Olavus et Astrida Tryggvii filia, uxor Erlingi, tertio consanguinitatis gradu juncti[2] essent. Hæc decima quarta fuit hiems, ex quo pugna Nesica commissa est.

[*De Einare Thambarskelfire*].

Cap. 278. Post pugnam Nesicam Einar Thambarskelfir e regno profectus, orientem versus in Sveciam cum affini suo Sveine dynasta se contulit. Sed post obitum dynastæ apud Olavum Svionum regem versatus est, donec ille quoque mortuus est. Deinde in Norvegiam reversus, regem Olavum Haraldi filium in partibus orientalibus convenit. Hic in gratiam utrique ea lege redierunt, ut Einar boream versus in Thrandheimum se conferret, omnesque possessiones suas retineret, item ea prædia, quæ dotis nomine Bergljotæ cesserant. Quo facto, Einar boream versus profectus, in prædiis suis consedit, regi se non addicens; qui, quanquam regiis salariis carebat, tamen se suosque magno splendore habuit, quippe ingentes possessiones tenens. Cum vero rex

1) *samgjarna*] *jafngjarna*, id., C, S.; 2) *þrimenningar*] *syskin;* germani, S.

Knutus Norvegiam subegisset, eamque tuendam dynastæ Hakoni tradidisset, Einar, inita cum dynasta Hakone, affini suo, societate, omnia, quæ regnantibus dynastis tenuerat, commoda recepit. Rex Knutus Einarem sibi magnis datis muneribus devinxit, pollicens facturum se, ut Einar summam inter ignobiles viros auctoritatem & dignitatem obtineret, quoad suum in Norvegiâ duraret imperium, addens, existimare se, Einarem aut filium ejus Eindridium post satrapam dignissimos ob generis amplitudinem esse, qui in Norvegia honoris titulum gererent.

[*Rex Olavus in Gardarikiam proficiscitur*].

Cap. 279. Post interitum Erlingi Skjalgi filii rex Olavus boream versus ultra Stadum littora classe prætervectus, cum cognovisset, Hakonem dynastam magno comitatum exercitu adversus se ab septemtrione tendere, cursum orientem versus secundum littora flexit. Jam mox apparuit, qui suorum ei cum fide servivissent: hic enim tantus hominum numerus eum reliquit atque ad dynastam Hakonem transiit, ut rex non amplius quam sex naves haberet, cum in Rodrarfjördum[1] venit; classe ad Valldalum[2] applicata, heic naves subduxit. Inde rex in Vallem penetravit, cum multis et insignibus miraculis, quæ ejus causa deus patravit; hinc in Lesjas contendit, ut in historia ejus commemoratur. Rex Olavus pedestri itinere orientem versus in Nerikiam ita dictam pertendit, ubi transegit multum [veris; comparatis vero ibidem navibus, profectus est[3] æstate orientem versus in Gardarikiam; hic a rege Jarizleifo et regina Ingigerda amice exceptus hie-

[1]) Totrarfjördum, S. [2]) Valdaholmum, S. [3]) a signo abest in A.

mem transegit, magnas animo versans curas, quid caperet consilii; nam rex Jarizleifus potestatem ei dedit, secum quamdiu vellet manendi, amplamque, cui præesset, ditionem obtulit. Quam oblatam conditionem rex animo secum volvebat. Hoc etiam animo agitavit, deponere regiam dignitatem, et Hierosolyma aut alia sacra loca adire, et in monasterium secedere, quod fecisse regem Olavum Tryggvii filium, cognatum ejus, multi tum homines prædicabant. Illa vero in primis animo obversabatur cogitatio, si qua se obtulisset occasio, imperium Norvegicum recuperare conari. His curis fatigato animo, res suas omnes potestati et arbitrio omnipotentis dei permisit, ut consilium, sibi subjectisque maxime conducibile, animo suo suggereret. Noctes sæpe insomnes duxit, preces ad deum benevolo fundens animo pro omni populo, inimicis pariter atque amicis. Accidit nocte quadam, cum rex Olavus in lecto cubaret magnis fessus curis, ubi precum formulas pro more solito pronuntiaverat, ut somnus, levis quidem, ei obrepserit, sic ut vigilare sibi visus sit, omniaque, quæ in domo gererentur, videre. Visus sibi est hominem videre ante lectum adstantem, magna statura, formaque augusta, eximiis indutum vestibus; rex per quietem existimavit, regem adesse Olavum Tryggvii filium. Hic vir regem affatus: de consilio capiendo, inquit, valde sollicitus es; mirum mihi videtur, te adeo dubium hærere, quænam ineunda tibi sit consilii ratio, item illud, quod cogitas, regiæ dignitati renuntiare, ut et ea ratio, ut heic maneas et ditionem ab exteris ignotisque principibus accipias; immo, redi et regnum reci-

pe, quod hæreditate acceptum ope divinitus concessa diu tenuisti, neque patere, ut subjecti tui tibi metum incutiant. Regium est, victoriam ab hostibus reportare, mors autem gloriosa, cum copiis in prælio cadere; ecquid dubitas, te justam habere in lite vestra causam? ne facias, ut jus tuum dissimules, fidenti animo regnum repetas, quod testis tibi deus erit, tuam esse possessionem. Rex Olavus somno expergefactus, abeuntis hominis speciem animadvertere sibi visus est, rex deo pro hoc viso gratias egit, et animum suum exinde confirmavit, eamque sententiam, quæ ipsi suisque omnibus maxime placuerat, animo sibi destinatam habuit, ut nempe in Norvegiam reverteretur. Persuasit nempe sibi, fore, ut Norvegiam recuperare non esset difficile, præfecto destitutam, quod ab hominibus, recens ab Norvegia advenientibus, acceperat, dynastam Hakonem, ex occidente ab Anglia navigantem, cum omnibus, qui in navi sua erant, mari submersum periisse. Quod consilium cum suis aperuisset, grato animo omnes id comprobarunt. Jam non est incredibile, deum hac sua administratione regi cognatum Olavum Tryggvii filium præmonstrasse; hic enim Olavus pio semper studio operam dedit, ut christjanismum, ab Olavo Tryggvii filio fundatum, emendaret et ad finem perduceret; et sane Olavus Haraldi filius omnem Norvegiæ populum ad sanctam fidem perduxit: hujus enim populi magna pars a recta religione, quam eos Olavus prior docuerat, ad paganam idolorum superstitionem relapsa erat. Utrique etiam moribus consimiles: in sententiis ferendis justi, in puniendis malefactoribus

severi, nulla habita personarum ratione, si blandæ persvasiones nihil profecerunt; et quemadmodum principes populi, tum impotentia & invidia stimulati, regem Olavum Tryggvii filium persecuti sunt, tum quod pati noluit exterorum principum, sive potius prædonum, injustam in patria dominationem, sic quoque nulla alia fuit causa, cur incolæ rebellionem contra Olavum Haraldi filium fecerunt, quam quod ferre non potuerunt ejus in judicando justitiam; maluit autem ille vitam dignitatemque amittere, quam perdi justitiam. Neque fidem excedit, regem Olavum Tryggvii filium hoc dei mandatum regi Olavo aperuisse, quod per quietem ei innotuit, nam per ætatem fieri potuit, ut Olavum Tryggvii filium vidisset, antequam in Vindlandiam profectus sit, ut adeo eum cognoscere potuerit, si eum vigil conspexisset. Rex Olavus Magnum filium in Gardarikia reliquit, paratis vero vere seqventi navibus, ab oriente in Sveciam trajecit, unde pedestri itinere eadem æstate boream versus in Norvegiam contendit. In quo itinere visa memorabilia vigilanti et dormienti apparuere, ut in historia ejus memoriæ proditum est.

Cap. 280. Non prætereundum est visum illud, quod regi Olavo, in Væradalo in Thrandheimo cum exercitu commoranti, cum montes orientales nuper superaverat, proxima nocte ante pugnam Stiklarstadensem[1] in somnis oblatum est. Rex hac nocte pervigil deum pro se suisque precatus est, somno parum indulgens; sub lucem vero somnus gravior ei obrepsit, quo oppressus adstantem sibi vidit dominum nostrum Jesum Christum, inenarrabili luce splendentem. Cum autem rex per

quietem sentiret se, ob infirmitatem naturæ humanæ, subito metu tantæ tamque augustæ visionis perculsæ, quasi animi quodam deliquio gravari, vivus deus eum serena voce affatus est his verbis: ades, mi care[1]! nunc enim tempus adest utendi fruendique dulcissimis præmiis, laborum tuorum fructibus, quos utili opera et diligentia collegisti. Mox sanctus ille rex Olavus somno expergefactus est, majore perfusus animi voluptate, quam verbis exprimi queat, propter hanc cœlestem consolationem et promissum, nec non confirmatus serenitate et claritate divinæ visionis, in corde ejus ob hoc augustum visum fulgente. Quare lætus in pugnam processit contra adversarios suos, eoque congressu eximiam rerum commutationem expertus est: nam terrestre regnum cum cœlesti commutavit, et victoriæ coronam sangvinis sui effusione consecutus est; etenim lethali vulnere sauciatus ab inimicis propter sanctam justitiam, ex fœdis hujus miseræ vitæ tabernaculis in augustam cœlestis regni aulam concessit, intuens regem omnium regum in gloria sua, dominum nostrum Jesum Christum, et cum eo una regnans in æterna pace et gaudio sine fine[2].

Cap. 281. Einar Thambarskelfer gravem animo curam et longum dolorem pertulit post obitum regis Olavi Tryggvii filii, ut multi alii intimi ejus amici; raro enim solidam percepit voluptatem, plerumque domi desidens, ex quo e Svecia reversus in gratiam cum rege Olavo Sancto redierat. [Æstate quadam Einar peregre profectus, primum trajecto mari occidentali Angliam attigit, indeque austrum

1) *samfélagi*, socie, add. C. 2) Amen, add. C; S. hoc caput brevius exponit, nulla facta visionis mentione.

versus Romam usque contendit; cum unam hiemem domo abfuisset, altera æstate reversus porro domi se quietus continebat, receptis jam ab Hakone dynasta amplis commodis, ut ante scriptum est; quare auctoritas et potentia Einaris de integro adeo invaluit, ut omnium in provincia Thrandheimensi virorum præfecturæ dignitate conspicuorum illustrissimus haberetur. Cum vero certa fama increbuisset, Hakonem dynastam mari periisse, ita ut nulla res, quæ in ea navi fuit, usquam terrarum apparuerit, tum Einar iter occidentem versus in Angliam parat eodem vere, quo Olavus Sanctus ab oriente Gardis profectus est. Knutum regem conveniens, comiter exceptus est. Cui, cum regi causam adventus sui ostendisset, et diceret, se adesse, promissa curaturum, ipsi a Knuto rege data, fore, ut dynastæ Norvegiæ titulo ornaretur, si Hakonis dynastæ copia non fieret; rex: hæc res nunc, inquit, longe alio spectat; nunc enim nuntiis et tesseris in Daniam missis, Sveini filio meo totum Norvegiæ regnum concessi; tecum vero amicitiam servare cupio; honoris titulo ornaberis, qui loco quo natus es conveniat, præfectique dignitate mactaberis. Qua ex re Einar mentem Knuti regis intellexit, nempe velle eum, ut Einar ceterique principes adversus Olavum regem pugnarent, eo autem cæso et regno exuto, nihilo majorem ditionem quam antea obtinerent[1]; in memoriam revocans re-

[1]) A signo [S sic exhibet: *Einar fór úr landi suðr til Róms, ok í þeirri ferð fann hann Knút hinn ríka á Englandi ok þá af honum stórar fègjafir ok fögur fyrirheit, ef hann byndist í at berjast ímóti Olafi konúngi Haraldssyni. Þeir skildu at því; fór Einar þá norðr í Noreg ok settist at búum sínum. En litlu síðar rauf Knútr konúngr öll sín heit við Einar* ɔ: Einar peregre pro-

gem Olavum Tryggvii filium, quantam in eo jacturam fecissent omnes Norvegiæ incolæ, principe, qualis ille fuit, amisso, nunquam enim tali modo promissa, amicis data, migravit. Qua re Einar intimum animi affectionem ad Olavum Trygvii filium convertit, quo magis expertus est, eum plerosque principes præstitisse liberalitate et in promissis servandis, si quæ suis liberaliora commoda pollicitus esset, constantia, ita ut iis, qui cum fide ei serviverunt, nullum non honorem præstaret, qui quidem jure tribui posset. Einar itaque, reputans, incolas Norvegiæ ea consilia adversus regem Olavum agitare, si ab oriente rediisset, quibus non sine infortunio consentire posset, iter ab occidente tardius parat, quare res, ut constituerat, cecidit; non enim prius Norvegiam attigit, quam Olavus Sanctus cecidisset. Ea exinde perpetua tenuit hominum existimatio, Einarem fortunæ muneri debuisse, quod nunquam adversus regem Olavum pugnavit, ex quo pacem inter se fecerant; idem quoque primus fuit ex magnatibus, qui sanctitati Olavi regis stabiliendæ summo honore et observantia operam daret.

Cap. 282. [Sveinn, filius Knuti regis, dictus Sveinn Alfifæ filius, ab oriente in Vikiam pervenerat, quo tempore pugna Stiklarstadis commissa est; is deinde rex Norvegiæ creatus est[1].

fectus austrum versus Romam contendit, in quo itinere Knutum potentem in Anglia convenit, et ab eo magna munera et pollicitationes accepit, si rebellionis contra regem Olavum Haraldi filium primas in se partes susciperet. Quibus actis digressi sunt, Einare boream versus in Norvegiam revertente et in prædiis suis considente. Post autem paulo rex Knutus omnia sua promissa violavit.

1) abest in S.

Postquam autem Sveinn Alfifæ filius tres hiemes Norvegiæ imperaverat, civibus parum probatus, fama in Norvegiam relatum est, trans mare occidentale copias contrahi ab Tryggvio filio Olavi regis Tryggvii filii et Gydæ Anglæ. Rex Sveinn in Thrandheimo erat, cum hæc cognovit; is statim commeatum bellicum imperavit et præfectos ad se convocavit. Einar Thambarskelfer domi remansit, neque regem Sveinem comitari voluit. Rex Sveinn, cum se itineri accinxisset, cum copiis austrum versus littora prætervectus in Vikiam usque pertendit. Tryggvius hac æstate ab occidente exercitum duxit, et ab alto ad Hördalandiam delatus est; tum utrique de instituto itinere invicem certiores facti sunt, quare rex ab austro classem reduxit, Tryggvius vero a septemtrione in occursum ejus tetendit. Cujus rei ita meminit carmen de Tryggvio compositum:

Honore stimulatus Tryggvius
a borea profectus est; sed ab austro
rex Sveno cum sua manu, ad pugnam;
hinc prælium conflatum est.
Eorum turbulento conflictui interfui;
ibi cito congressus obvenit,
ibi cito vitam amisere milites;
is verus ensium sonitus fuit[1].

---

[1]) Ordo: *Tíreggjaðr Tryggvi fór a) norðan, en Sveinn konúngr sinni ferð sunnan, at gunni; morð tókst af því. Ek var nærr α) þavsnum þeirra; þar b) bar skjótt at móti; herr týndi þar harða c) fjörvi; þat d) var hjör-göll.* Vide Hkr. VII, *rn.* 263.

a) hjó, cædebat, C. *b) þat*, id., Hkr. *c) hörrcða*, Hörorum, Hkr. *d) þá*, tum, Hkr.

α) þausnir, tumultus, turbæ, citatur in Gloss. Njalæ sub voce *þ u tu*, ex annal. island.

Horum congressus fuit a boreali parte Jadaris in freto Söknasundo intra Boknam, non procul a loco, ubi Erlingus Skjalgi filius ceciderat. Heic acri prælio conflixerunt, quæ pugna die dominica gesta est. Quod testatur carmen de Sveine Alfifæ filio compositum:

Die solis, mulier! (quo mane
militum multi cecidere ferro)
perinde non fuit, ac si accumbenti
virgo allium aut cerevisiam afferret;
cum Sveno rex jussit suos
juvenes conjungere navium
proras: dabatur cruda
caro dilanianda corvo[1].

In hoc prælio rex Sveinn victoria potitus est, Tryggvius vero cum maxima exercitus sui parte occubuit. Tum triginta et tres hiemes elapsæ sunt, ex quo rex Olavus, pater ejus, in Serpente conflixerat. Sequentem ergo hiemem rex Sveinn regnum Norvegiæ tenuit. Insequente vere Einar Thambarskelfer orientem versus in Gardarikiam profectus est, Magnum, Olavi Sancti filium, reducturus; qui una post hieme ab oriente reversi sunt. Rex Sveinn, simul atque Magnus Norvegiam attigerat, e regno profugit, quare Magnus toti imperio præfectus est. Rex Magnus Bonus, filius regis Olavi Sancti, tredecim annos Norvegiæ præfuit, antequam Haraldus Sigurdi filius, patruus Magni regis, in Norvegiam venit. Tum rex Magnus dimidiam regni Norvegiæ partem cum Haraldo ex æquo

---

[1]) Ordo: *Var-a a) sunnudag, svanni! sem mær bæri manni lauk eðr öl; þann morgin hnè margr seggr und eggjar, er Sveinn koníngr bað sína drengi samantengja skeiðar stafna: hrafni gafst hrátt hold at slíta.* Vide Hkr. l. c.

a) *var á*, C, Hkr. fuit perinde, ac si.

communicavit; ita ambo unam hiemem reges Norvegiam tenuerunt, antequam rex Magnus mortem obiit, Haraldus vero solus rex Norvegiæ creatus est.

Gautus ad regiones australes proficiscitur.

Cap. 283. Eodem anno, quo cognati, Magnus Bonus et Haraldus Sigurdi filius, una regno Norvegico præfuerunt, vir quidam Norvegus, nomine Gautius[1], peregre abiens Romam proficisci constituit; qui cum Coloniam prælatus in Saxoniam pervenerat, obvium habuit virum, nomine Gautum[2], item Norvegum, qui quondam Gautio mercaturæ socius fuerat; is nuper Roma advenerat. Hunc Gautius, ecquid pecuniæ, quod mutuum daret, haberet, interrogavit. Cui Gautus: non solum quicquid habeo pecuniæ commodabo tibi, sed etiam tibi comes ero, quoquo tandem proficisci volueris. Ita primo Romam proficiscuntur, tum trajecto mari Hierosolyma adierunt, deinde curiositate ducti ulterius pergere cupiebant, visuri rubrum mare, et quâ Moses populum Judaicum ex Ægypto transduxisset. Qui cum multum viæ, in Ægyptum ferentis, emensi erant, in locis desertis in avia aberrarunt, atque tum Gautius in morbum incidit et mortuus est. Postea Gautus diu in sylvis solus oberrans, famem et laborem pertulit; tum in priorem viam reverti voluit, quanquam viæ tantum non ignarus. Die quodam ex sylvis evadens, ad ingentem amnem devenit; videns in ulteriore ripa magnum monasterium, vehementer cupit amnem transire, ut in monasterium perveniat, ubi sperabat se stipem accepturum; itaque in ripa nunc sursum nunc deorsum obit, neque pontem neque lembum reperit. Tantopere autem

1) Gautus, F. 2) Gautius, F.

eum fatigaverat fames et sitis laborisque molestia, ut animo commotus lacrimas fundere inciperet, quod amnem trajicere non posset. Hac tristitia et dolore affectus corpus humi in ripa fluminis e regione monasterii prosternit, et somno opprimitur; hora diei erat tertia; somno oppressus hominem videt ad se accedentem his verbis: incaute dormis, inquit; quod si amnem trajicere cupis, confestim surge, nam invenies ad ripam amnis naviculam aquis innatantem. Quo viso expergefactus Gautus visus sibi est, simulatque oculos aperuit, speciem hominis animadvertere; quare illico surgens in ripam processit, ubi naviculam flumini innatantem, remosque stroppis insertos reperit; conscendit navem et in ulteriorem ripam remigat, ubi lembo ad ripam religato, a fluvio ascendens, antequam ad monasterium perveniret, pulcram aliquam domum lapideam nanciscitur, in qua sedentem conspexit virum ætate provectum, pulcritudine et vultus gravitate conspicuum; quem Gautus perquam similem ei, qui sibi per somnum apparuisset, judicavit. Prius vero, quam ad domum lapideam pervenisset, hic vir in genua ad precandum procubuit, deinde surrexit et accedenti ad fores Gauto obvius ibat, et danico sermone, quis, unde esset, et quo cogitaret, interrogavit. Cui Gautus omnem sui itineris rationem accurate exposuit. Quo facto is, qui coram aderat, eum accedens comiter salutavit atque osculatus est, et in domum introduxit, dicens: hic ad vesperam quiesce, et nova ex Norvegia refer; deinde te ad urbem (monasterium) deducam, causamque tuam orabo. Deinde pulcher ille vir de dynasta Eiriko Hakonis filio, et Sveine, fratre ejus, et quid agerent, requisivit. Quos Gautus jamdudum vita

decessisse ostendit. Tum de Erlingo Skjalgi filio et uxore ejus Astrida quæsivit. Gautus ei interitum Erlingi narravit, et diligenter de rebus, quæ inter eum et regem Olavum Haraldi filium inciderant, exposuit. Porro ille de Olavo Sancto interrogavit. Cui Gautus necem Olavi regis retulit, et post eum Sveinem Alfifæ filium regnum Norvegiæ accepisse, item Tryggvium, filium Olavi Tryggvii filii, per mare occidentale advenisse et cum Sveine prælium commisisse, in quo Sveinem vicisse, Tryggvium cecidisse. Quo audito, vir ille spectabilis magno affectus dolore est, interrogavit tamen, quis tum Norvegiæ rex fuisset, cum patriam reliquisset. Gautus Magnum, filium Olavi Sancti, Norvegiæ imperasse ait duodecim hiemes, hancque decimam tertiam esse; Haraldus autem Sigurdi filius regnum cum eo administrare cœperat, inquit, cum ego patriam reliqui. Tum vir senex: Multorum, inquit, inde advenientium rumor animum meum ad favorem Magni Boni inclinavit; Haraldus vero Sigurdi filius non magis rex, quam pirata, mihi esse videtur; de quo quidem multa audivi, cum in Græcia essem; quid vero, an aliquam Normanni memoriam retinent Olavi Tryggvii filii? Respondit Gautus: augusta ejus memoria est; magnam enim ei gloriam comparat, quod christjanam religionem in regna septemtrionalia introduxit. Tum augustus ille vir: age, dic mihi, quid vulgo sentiant homines, quid de Olavo Tryggvii filio in prælio, in Serpente commisso, factum sit. Gautus respondit: diversæ de ea re hominum sententiæ sunt; sunt qui dicant, eum vulneribus confectum in aquas desilivisse, ibique cum lorica ceteraque armatura submersum periisse. Tum vir ille spectabilis: qui putent

homines, voluisse eum mortem sibi consciscere, tantoque consternatum fuisse timore, ut in aquas desiluerit, cum se adeo saucium et viribus desertum nosset, ut evadere non potuisset; neque profecto in artibus et exercitiis tantum excelluit, quantum fama tulit, si lorica aliave armatura eum diu sub aquis deprimere potuerunt, ut iis se exuere nequiverit; talibus fides habenda non est, atque plures hominum sententias profer. Quidam homines putant, ait Gautus, vim divinam eum ad se recepisse, aut eum in alium quendam locum transduxisse cum magno eo lumine, quo multi regem circumfusum viderunt. Pulcher ille vir respondit: dubia neque fide digna isthæc sententia est, eum tantæ sanctitatis fuisse, ut vi cœlesti vivus ab hominum consortio sublatus sit; nam, quanquam rex Olavus nonnulla bona opera fecit, tamen multa peccata admisit, quare hæc fidem non merentur; credendum potius, eum supplici animo divinoque adjutum auxilio præsens vitæ periculum effugere potuisse. Porro dic mihi plures hominum sententias. Gautus respondit: sunt qui dicant, natantem fuisse sublatum, atque ad terram deportatum eadem nave, quæ hac die non procul a loco prælii in ancoris steterit. Hoc propius ad fidem accedit, ait ille, quam quod vivus in cœlum sublatus sit; atque confirmant viri sapientes et veraces, qui heic nobiscum versantur, eum prælio superfuisse atque ætatem attigisse regum, qui nunc Norvegiæ imperant, annos fere quinquaginta. Tu vero nunc dic mihi, adhucne vivat Einar Thambarskelfer. Vivit Einar, ait Gautus, et Gimsis habitat, in matrimonio habens Bergljotam, filiam dynastæ Hakonis Sigurdi filii, is nunc præfectorum in provincia Thrandheimensi po-

tentissimus et nobilissimus est, regique Magno apprime carus. Tum augustus ille vir: vidi egomet Einarem Thambarskelferem rem summo robore gerentem in Serpente, pro ea ætate, utpote tum octodecim annos natum, et tamen fortissimis regiis athletis par fuit. Gautus faciem hominis, quocum colloquebatur, intuens, secum animo volvebat, cur de prælio et regiis verba faceret, tanquam si in re præsenti fuisset. Tum Gautus: parvo natu puer regem vidi Olavum Tryggvii filium, cui quidem perquam similis es, quanquam provectæ ætatis sis, dic, age, mihi, an rex Olavus sis. Ille contra: neque ego mihi dignitatem, neque nomen Olavi vindico; in hoc ipso momento campana sonuit signumque dedit cantus vespertini, in urbe celebrandi; statim ad primum campanæ sonitum vir ille surrexit et templum adiit, et cum eo Gautus. Hic autem vir tantæ erat staturæ, ut Gautus, ab latere ejus incedens, vix ad humeros ejus pertingeret. Cum in templum pervenerunt, magna ibi aderat hominum multitudo; monachi et clerici hunc virum exspectantes, simulac in templo aderat, cantum vespertinum exorsi sunt. Animadvertit Gautus, hunc virum super alios omnes, qui ibi adfuerunt, capite et collo exstare, eoque plus dignitatis ob omnes res ei accedere, quo majoris erat staturæ, quam ceteri, multis hominibus eum circumstantibus, ad ejus ministerium paratis. Cantu vespertino ad finem perducto, magnus ille vir templo egreditur, duosque monasterii procuratores ad se vocat, quos Gauto bona hospitalitatis officia præstare jussit. Hi eum in cubiculum deducunt, cœnamque lautissime præbent; sequenti mane lavacrum ei parant, purisque vestibus induunt. Altero die post mis-

sam, ingens ille vir, cum templo egrederetur, Gautum ad se vocat, sicque alloquitur: in Norvegiam veniens, Einarem Thambarskelferem meo nomine salvere jube, quo addas, me tale de eo judicium facere, neminem in Serpente strenuius eo pugnasse, et ut veras adhibeas tesseras, quod vera dicas, offer illi hunc cultrum et zonam, quæ ei mitto: tum ei tradit in manus cultrum et zonam, res in suo genere præstantes. Deinde ad domum lapideam redit, procuratores vero Gautum in cubiculum deducunt. Animadvertit Gautus, hunc spectabilem virum in tanto honore esse, ut omnia ex ejus nutu in ea urbe gererentur, quasi rex ei loco præesset. Eodem die Gautus ad domum lapideam magni illius viri se contulit, requisiturus, si quid certius expiscari posset, quis esset, sed domus clausa erat, quare Gautus ad cubiculum rediit. Tertio die mane Gautus abiit, cui, jussu magni illius viri, duces viæ et interpretes, donec trajecto mari in Græciam pervenisset, additi sunt comites. Gautus ab itinere non prius destitit quam in Norvegiam pervenit, ubi Einarem Thambarskelferem convenit, eique cultrum et zonam tradit, omniaque de suo itinere exponit, et quid ipse ac magnus ille vir inter se collocuti fuissent. Quibus cognitis Einar, in lacrimas erumpens: vera dicis, Gaute frater! tu sane Olavum Tryggvii filium convenisti, atque is mihi has res profecto misit. Hanc narrationem Teitus Asgeris filius a viro integræ fidei et sapiente, Thorarine Thorvaldi filio audivit, Thorarini autem ipse Einar Thambarskelfer rem narravit.

Res inter regem Haraldum et Einarem Thambarskelferem intercedentes.

Cap. 284. Rex Haraldus Sigurdi filius, mortuo rege Magno Olavi filio, solus regnum Nor-

vegicum capessivit. Haraldus rex, quod Einarem Thambarskelferem nimiam in Thrandheimo ditionem tenere arbitrabatur, multa ei crimina intendit, eique omnia commoda regia, a Magno rege data, abstulit. Einar vero, quamvis regiis commodis privaretur, morem superioris potentiæ et magnificentiæ retinuit; quos inter magna discordia orta est, quod Einar regi cedere nullo modo vellet. Post paulo Gautus Hierosolymis rediit, ut supra scriptum est; cujus narratione permotus Einar, intimum renovavit amoris affectum erga Olavum Tryggvii filium, quem ad finem usque vitæ conservavit, etsi corpore præsens ei adesse non posset. Quare Einar eo asperiorem et insolentiorem se erga regem Haraldum præbuit, quo rex gravius in eum consuluit, donec viri benevoli se interposuerunt ad eos reconciliandos, eo rei exitu, ut conventum inter se Nidarosiæ condicerent. Hoc conventu rex Haraldus sub prætextu pacificationis Einarem et Eindridium filium ejus dolo interficiendos curavit, quemadmodum in vitis regum Norvegicorum memoriæ proditum est.

Cap. 285. Rex Adalradus Jatvigi[1] filius Angliæ per viginti septem[2] annos præfuerat, cum rex Olavus Tryggvii filius ad Vindlandiam pugnavit, inde vero Adalradus undecim annos imperavit; is in intima erat amicitia Olavi Tryggvii filii, ut supra scriptum est. Post hunc Jatmundus filius ejus annum Angliæ imperavit, cum Knutus Potens cum exercitu in Angliam pervenit et adversus filios Adalradi per octo annos bellum gessit. Deinde Angliam sedecim annos sub sua potestate tenuit. Tum

[1]) Jatvardi, F. [2]) tres, F.

Haraldus, filius Knuti et reginæ Emmæ, quam in matrimonio habuerat rex Adalradus, tribus annis imperavit; postea Hördaknutus duobus annis; deinde rex creatus est Angliæ Jatvardus Bonus, filius regis Adalradi. Jatvardus rex memor erat amicitiæ inter patrem regem Adalradum et regem Olavum Tryggvii filium.

Cap. 286. Rex Jatvardus eo more usus est, ut principibus et aulicis suis historiam Olavi Tryggvii filii primo paschatos die narraret; ideo vero historiam Olavi regis die paschatos potius quam alio quoquam die narravit, quod regem Olavum tanto regibus aliis præstitisse testatus est, quanto dies pascatos ceteris præstet anni diebus. Vir erat nomine Ormus, Thorljoti filius, vir sapiens et in dictis observans, qui Dyrnesi in Orkneyis habitavit, cum Jatvardus in Anglia rex erat. Ormus sic dixit, audivisse se regem Jatvardum historiam Olavi Tryggvii filii prælegentem, in eo libro scriptam, quem ipse Olavus regi Adalrado Hierosolymis miserat. Anno quodam rex principibus suis et universis aulicis particulam (narrationem) prælegit de prælio in Serpente gesto, quæ per omnia concordat cum iis, quæ supra scripta sunt de fuga regis Olavi, et de itineribus ejus per mare orientale versus Hierosolyma, quodque in monasterio quodam Syriæ sedem fixerit. Tum quoque rex Jatvardus aulicis suis mortem Olavi Tryggvii filii retulit, quam a viris, nuper in Angliam ab Syria delatis, acceperat.

Narratio
de poëtis regis Haraldi Pulcricomi.

Cap. 1. Rex Haraldus Pulcricomus Norvegiæ præfuit; is multos secum habuit viros excellentes. Tres poëtæ cum rege versabantur: Ölver Hnúfa (tuber), Thorbjörn Hornklofius (cornufissor, clypei sector[1] et Audun Illskælda (malus poëta). Thorolfus Hviniensis, cum hæ res gestæ sunt, venia ab rege accepta, domi suæ remanebat. Tum quoque Audun in gratiam cum rege redierat, quod versus intercalares exemisset ex carmine illo intercalato, quod Ulfus Sebbii filius, cognatus suus, de rege Haraldo composuerat; qua de causa Audun cognomentum nactus est, carmini autem nomen Stolinstefjæ (versibus intercalaribus spoliati) inditum, ut in historia Ulfi Sebbii filii et Kvigi dynastæ memoriæ proditum est. Rex Haraldus Hustadis in Nordmœria splendido convivio exceptus est ab Ingibjarga Divite, cognata sua, quo tum eum poëtæ sui multique alii nobiles viri comitati sunt. Vidua ipsa ministravit, lautissimasque præbuit epulas; eadem pulcritudine morumque elegantia erat conspi-

1) De voce *Hornklofi* vide Eiglam, ed. Havn. pag. 452, not. 73.

cua. Quæ cum Auduni cornu ferinum vesperi propinasset, ille, manu ejus cum cornu arrepta: venusta, inquit, mulier es, mihique mire places; qua re, si volupe tibi est, hac ut nocte apud te dormiam, hunc ego tibi, quem mihi rex dedit annulum, multasque insuper res alias, si accipere vis, donabo. Respondet illa: hæc, puto, ex animo tuo non proficiscuntur, quippe qui nimio vino incalueris; tibi autem irascetur rex, si isthæc resciverit. Audun contra: istoc nihil moror, modo consentire velis. Illa, conspecto annulo, cum splendidus ei videretur, infit: quoniam tu mihi bene places, modo celari res possit, voluntatem tuam perficiam, si quod dedero consilium exsequeris. Cum tertia pars noctis processerit gynœceum meum adito, ego vero curabo, ostium sepis ligneæ apertum ut sit, et tres illæ fores, quæ ante gynœceum sunt.......[1], eamque digrediens osculatur. Deinde Ingibjarga Thorbjörnem Hornklofium eodem quo Audunem modo adit, atque eisdem verbis inter se colloquuntur, eo tandem fine, ut is quoque gynœceum ejus, quemadmodum alter, visitet. (Deinde) Ölverem Hnufam adit, qui eam eodem, quo ceteri, modo excepit. Is fuit rei exitus, ut suo quisque annulo eam donaret, quos omnes accepit, rogans, ut adesset Ölver, cum tertia pars noctis superesset. Illi, consiliorum inter se non conscii, votum quisque suum animis præcipiebant. Cum vero ea cubitum ivisset, multi convivarum remanebant, atque multo jam vino inebriati, quo quisque loco erat constitutus, obdormivere. Poëtæ quoque remansere, atque vigilabant: his enim animo non

[1]) lacuna in omnibus mscr., it. in membr. 544, lineam plenam impressam non exæquans.

exciderat, in quæ bona vocati essent. Cum vero tertia pars noctis processerat, surgit Audun, gynœceum Ingibjargæ adit: hic [lignea sepes adaperta[1] fuit; ille procedit, fores unas post alteras recludit, donec ad gynœceum pervenit, quod cum obseratum animadverteret abireque pararet, audit januam, alteri[2] extra proximam, opposita sera[3] crepare; adeoque ibi subsistit[4]. Media nocte surgit Thorbjörn Hornklofius, et gynœceum Ingibjargæ adit, per[5] sepem ligneam intrat, januamque ei proximam; [quo facto gynœceum occluditur[6], cum vero revertisset, janua, quam prius reseraverat, occlusa fuit. Tertia pars noctis cum superesset, Ölver surgit, gynœceum Ingibjargæ adit, adaperta sepe lignea; cum vero ad fores pervenit gynœcei, occlusas reperit[7]; idem, cum exire vellet, seram deprehendit ostio sepis ligneæ objectam. Qva re, quo quisque loco fuit constitutus, inter se, quid alteri agerent, nescii, reliquam noctem tenebantur; nemo ex illis plus vestimentorum habuit, quam vestem linteam unumque amiculum: cœlum erat frigidum et valde gelidum. Rex, proximo mane in celsa sede constitutus, cum sentiret abesse poëtas, mittit, qui quæsitum eant. [Tum Ingibjarga regi, quo res sit loco, aperit[8]; rex egressus, cum magno hominum numero ad gynœceum se contulit, ibique poëtas suos reperit. Hic rex tanta ira incensus est, vix ut alloquiis adiri potuerit, eosque pro sua impudentia quam citissime interfici jusse-

1) lacuna in C. 2) *hinni*] *honum*, sibi, membr., 544. 3) *í lási*] *lás í*, ɔ: januæ exterioris seram (ercpare), C. 4) *Önundr stendr upp*, Önundus surgit, add. mendose C. 5) *inn um*] *inn í*, intrat sepem, C. 6) a signo absunt in C. 7) *var hon læst*] *var henni læst*, occluduntur, C. 8) omitt. C.

rit. Multi cum rege fuerunt magnæ dignitatis viri, qui pro illis intercedebant, ipsi quoque poëtæ causam suam agebant. Cognati et amici eorum, cum eis pacem impetrare non possent, petierunt a rege, ut in aliquem locum, quo vellet, periculique plenum, si vel salvis redire non liceret, eos mitteret, potius quam, quos antea tanti fecisset, hos ipse tam levi crimine interfici juberet. Quare rex, amicorum consiliis permotus, hoc consilii capit, dicens, jam velle se, eos orientem versus in Sveciam mittere ad regem Eirikum Björnis filium, ut pacem inter has civitates concilient; hoc rex ideo imperavit, quod utriusvis regni cives, alterius fines ingressi, confestim interfecti erant. Ex poëtis suum quisque carmen, inter ostia constituti, hac nocte composuerant. Hos versus Audun cecinit:

Teli, loricæ infesti, incitator!
Stetimus sub lata ventosa
sepe mulieris, cingulo conspicuæ;
quis hos composuit dolos?
Strenuam feminam non conveni;
. . . .
. . . .
. . . . [1])

[1]) Versio horum versiculorum attemperata est ad textum Ed. isl. pag. ult., confer præfat. Part. 3. pag. 6. Prius hemistichium integrum est, præter vocem (*ve*) *ællt*, quam cum sequenti *í* conjunxi, ut ex duabns efficiatur una, *veællti*, i. e. *veellti*, *vielti*, *vèlti*, a verbo *vèla*; ordo talis est:

Herkir serkja hyrjar a)! Stóðu[1] *vèr und víðum vindar belki*[2] *b) linda tjálgu*[3] *c); hvorr*[4] *vèlti*[5] *þat?*

[1]) *særðu*, sauciavimus, A, B, C. [2]) *belti*, A, B, C, de quo infra, b. [3]) sic et C; *tjálgr*, A, B. [4]) *hvorir*, A, B, C. [5]) *alt í*, A, B, C.

a) *herkir*, subst. verb., non ubique obvium, sine dubio pertinet ad familiam *rr harðr*, unde *harka* (subst. & verb.), *herkinn*,

Hos Thorbjörn cecinit:
Dea poculi in causa fuit, quod
tenuerunt . . . .
(ideo cupidus sum, hanc improba e
profectionem) . . . . .
Et femina, gestans annulum
articulos molliter ambientem,
nunquam passa est, me . . .
. . . . [1])

herkjur, excluso *ð*; adeoque *herkir*, vel qui dura, firma manu comprehendit, vel qui jacit, mittit, quod prætuli, ut *herkir* idem valeat ac *herðir*, *herðandi*. *Serkr*, tunica, indusium, nonnunquam etiam absol. pro lorica, græc. χιτων (*brynstakkr*, hist. Ljósvatn. C. 52); hinc *serkja hyrr*, ignis loricarum, ensis, hujus *herkir*, incitator gladii, pugnator. Compellat poëta, solus cum esset, aliquem quasi præsentem. *b*) *belki* dat. a *balkr* (id. q. *bálkr*), sepes intermedia, vel a forma Norvag. *bölkr*, id.; eadem vocis forma occurrit in *Hryggjarstykki*: *sva segir Ivar Ingimundarson í Sigurðar belki*, qui tamen Codex formas Norvagicas vitare videtur; et vero *e* et *a* permutantur, sicut: *vel*, *val*; *bestr*, *bastr*; *keptr*, *kjaptr*; *vindar bálkr*, sepes venti, i. e. vento perflata, quod noctu sub dio sentire debuit poëta. Var. lect. *belti*, quæ consouantiæ syllabarum metricarum melius convenit, haud incommode referri potest ad *linda*, hoc ordine: *und víðum belti-linda tjálgu*, sub lata sepe lignea, ubi *belti-lindi*, cingulum ambiens. *c*) *tjálga*, f. ramulus circumcisus, adeoque tener (a *tálga*, cultro secare), unde *handar tjálgur*, teneri rami manus, digiti, Hkr., &. absol. *tjálgur*, de teneris brachiis in vita Starkadi. Sed h. l. est subjectum denominationis muliebris, quod adjectum *lindi* satis declarat; intelligitur Ingibjarga. Sequentem semistropham, cum mutila sit, in ordinem redigere nequeo; integra tamen videtur sententia intercalaris: *fankat ek mey rakka*. Cetera non assequor.

[1]) Hæc stropha tota fere mutila est; ne plena quidem extat denominatio feminæ in *Hildr horn..* (*horns*, an *horna*, an *hornflæðar* &c.) In posteriore semistropha nullum subjectum erui potest, itaque in locis mutilis latet. *Leigr* h. l. femininum esse debet, in gen. *leigrar*, lux, v. ignis, usitatius est *leygr*, m., gen. *leygjar*; *sæfar leigr*, aurum, h. l. annulus; hujus epithetum est

Hos Ölver cecinit:

(Servatrix) gladii clausit palpebras,
oculorum (clypeos). Sepes lignea
poëtam prohibuit (ab reditu)

. . . .

Et (diva) scamni, filis (adsueta),
placide dormit in lecto;
ideo ego patiens . . . .

. . . .[1]

[2] Rex Haraldus poëtis, cum in summo honore apud eum fuerunt, eam veniam dederat, ut ex aulicis regiis[3] ministrum sibi asseclamque deligerent. Quem delegerat Audun, Reikull (vagus) nominatus est; Thorbjörn delegit [Ko-

liðbjúgr, articulum (carpum v. digitum) ambiens. Potest tamen *liðbjúgrar* ad ipsum subjectum referri & verti, mollibus v. flexilibus articulis, membris. Cæteris immorari non vacat.

[1]) Semistropha prior: hic quoque subjectum appellationis deest, quod in... *ll* latere puto, itaque offert se sententia: *Laugþis [þö]ll hefir of-lagða saman hvarma*, id. q. sequens: *blundar (i) rekkju.* Palpebræ commode vocari possunt, *augna skildir*, clypei oculorum, quod oculos tegunt et defendunt, ut Xenophon (Memorab. Libr. I. C. 4) οψιν βλεφαροις τεθυρωμενην (visum palpebris quasi valvis munitum) memorat; itaque, *augna skjöld-(u)*, appositum esse potest ad *hvarma.* Porro cohærere possunt: *skiðgarðr lauk skáldi (far)ar*, sepes lignea poëtam reditu prohibuit, sive *lauk*, a *ljúka*, claudere, sive *lauk* positum pro *laug* a *ljúga*, frustrari, fallere, haud insolita litterarum *g* et *k* permutatione. Restat una vox, *fríöðam*, quam vix sermonis indoles admittit. Quod si divisim scribas *fríöð om* (v. *um*), το *fríöð* bifariam sumi potest: 1) a *fríöðr, fríuðr*, procus, amator, ut referri ad *skáldi* in dat. 2) Part. pass. f. g. amata, petita, et referri ad *lögðis þöll.* Tum *om* (*um*) παρελκει, quamvis h. l. hæc particula minus placeat. Semistropha posterior: *bandvammar* scribendum putavi *bandvanin*, quod in vers. uncinis inclusi; deinde conjeci: *bekkjar (n)jór(un i) rekkju.* Sed de his conjecturis satis. In cæteris hæreo.

[2]) Hic in membrana caput 2 incipit, hoc titulo: Poëtæ se ad iter parant. [3]) *mann*, virum, add. membr.

lum ex Osta[1], Hjalmgrimus autem dictus est vir, ab Ölvere delectus. Etsi vero poëtæ in odium regis pervenerant, tamen, quamvis hoc instaret periculum, nemo ex iis socium suum deserere voluit. Qui cum parati essent, regem adierunt, eumque salutaverunt, petentes, ut inceptum iter addita ipsius fortuna secundaret; etsi vero rex iratus erat, tamen, quod petebant, pollicitus, et abituris bene precatus est. Sic sex una equites discedunt. Tum Audun: optimum factu videtur, inquit, etsi in odium regis incurrimus, ut ostendamus, nos multos et nobiles habere cognatos; quare e re nostra esse videtur, ...[2] auxilium, quam hoc iter susciperet. Quo consilio ab ceteris probato, Ölver ait: Hringus Albus in Sunnmæria propinqua cognatione mihi junctus est, quippe avunculus meus; idem ab rege Haraldo præfecti dignitate ornatus; hunc convenire, et ejus societatem ad hoc iter expetere statui: juvenis enim est, et eximiæ spei, a quo strenuam operam exspectare par sit, si qua in re opus erit. Tum Audun: est mihi cognatus, nomine Thorfinnus, præfecti quoque dignitate ab rege Haraldo ornatus, provinciam Naumdalensem tenens, octodecim annorum, cognomine Robustus; is hæreditatem a patre acceptam nuper adiit; hunc ego socium itineris expetam, res enim docebit, credo, quem tenebit locum vacuum non esse. Ab his digrediuntur, suum quisque cognatum visitant; et quidem primo de Ölvere narratur, quod austrum versus in Mæriam profectus, perve-

1) *Kol or Ostu*] *Kolo fóstra*, alumnum Kolæ, membr. quod rectius est, vide pag. 76, text. isl. 2) hæc lacuna, quæ in omnibus Codd. est, in membrana spatium septem linearum impressarum exæquat.

nit ad Hringum Album, a quo humanissime exceptus, tres ibi noctes, summa habitus liberalitate, transigit. Tum adventus sui causam ostendens, infit: huc ad te veni, ut aperirem tibi, quod rex Haraldus nos, poëtas suos, orientem versus in Sveciam ablegavit, ut pacem inter reges et civitates constitueremus. Cui Hringus; quid adeo commisistis, ut rex neci vos destinatos cupiat? Ölver contra: putavit operam nostram hac in re pluris, quam aliorum, futuram. Huic Hringus: verum, ut res se habeat, edic. Tum Ölver rem, ut erat, exposuit. Hringus: male ea res evenit. Ölver: huic rei accedit, quod te socium itineris expeto; abs te enim plurimum præsidii exspecto, eo magis, quo majoris mea interest. Ad eam rem, ait Hringus, nunc parum idoneus sum, propter ætatem et desuetudinem; quos vero plures hujus itineris socios adsciscere statuistis? Ölver nominat Rolfum ac Thorfinnum. Ille: hi si socios se promittunt, non detrectabo; sin minus, non est quod hoc a me petatis. Deinde Ölverem amicè demittit, petens, ut nuntium mittat sibi, an Thorfinnus et Rolfus proficisci velint, locumque conveniendi Steigam in Gudbrandsdalis condicit. Nunc ad Thorbjörnem Hornklofium revertamur: is in Upplanda ad Rolfum pervenit, ibique bene exceptus est: Rolfo rationem causamque hujus profectionis ostendit, simulque, petere se, ut hoc iter secum suscipiat, optime enim de eo sperare omnium suorum cognatorum. Rolfus respondet: nunc ego talibus excursionibus non sum idoneus, qui ad senectutem pervenerim; credo autem me, cum corpore animoque vegui viguique, haud profecto iter hocce fuisse detrectaturum, si plures una proficiscerentur, in

quibus aliquod præsidium putaverim. Hoc tempore adest Ölver Hnufa, significans, Hringum se itineris socium promisisse, locumque, ubi convenirent, condixisse; quo factum est, ut Rolfus iturum se polliceretur. Jam de Audune maligno-poëta narrandum: in Naumudalum ad Thorfinnum perveniens, bene accipitur. Thorfinno fuit nutrix, magno natu; hoc ipso vespere Thorfinnus conclave ejus adit: illa eum salutat, quæritque, ecqui adessent advenæ, qui ipsius cognati essent. Ille negat. Ea: equidem haud exspectaveram, falsa dicturum te mihi; hic enim agnosco genium tutelarem Audunis maligni-poëtæ, cognati tui, qui cum sociis bene mane huc venit; qui quidem sibi videtur magnas res habere tecum communicandas, magnisque distrahitur animi curis. Thorfinnus respondet: verum est, nutrix, advenisse huc hodie Hjalmgrimum cum suis, neque sane tibi fumo cæcutiunt oculi; istorum autem quæ negotia sint, nescio. Ea contra: talia, uti solet, esse existimo, quæ non admodum sint profutura. Deinde Thorfinnus digrediens, se nutricem suam conventurum ostendit, si quid ei propositum esset, quod caute tractandum videretur. Ea gratias illi egit, atque ejus in consiliariis adhibendis modestiam collaudabat. Postero autem die Audun Thorfinno rem aperit: rex Haraldus nos, inquit, poëtas suos, ad regem Svionum misit, ut pacem inter regna conciliare conaremur, quod confidebat, nos hanc rem strenuissime exsecuturos. Thorfinnus respondet: si quid in hac re clare video, ista prorsus insidiosa legatio est, neque perspicio, vobis ab rege plus honoris tribui, quam aliis quibusvis. Cui Audun: spes est, si hæc profectio instituitur,

eorum, qui iter suscipiunt, operam (magni futuram); quare huc eo consilio veni, ut te socium profectionis expeterem; spero me plus profecturum . . .[1] mea opera fiat, quam tibi; scio enim te ita ornamenta ab rege habiturum, si hoc feceris; sunt quoque excellentes viri in societatem hujus itineris adsciti, sicut Hringus et Rolfus Naso. Thorfinnus paucis respondet, et nutricem suam adit, eique, cur Audun adsit, aperit. Ea quæsivit: num consensisti? Non consensi, ait ille. Ea contra: perinde, inquit, erit, ac si consenseris, eo enim res deveniet. Ille: an consultum tibi videtur, nutrix? Non te dehortabor, ait illa. Deinde inter se conferunt, quòmodo se domo pararet. Illa infit: ipse duodecimus domo proficiscare, comitatus sodalibus nostris, longo nobis usu cognitis, Hermundo Berserko (gladiatore furioso) et Ingjaldo Skario, alumno tuo; tu quoque princeps legationis fies, tali ratione: ubi vos principes[2] universi conveneritis, hastas vestras uno loco defigite, isque vestrum princeps esto, cujus hasta sonuerit, faciam autem, ut ea res ad te perveniat. Deinde ei ungventa multaque fomenta dedit, dicens, hæc omnia ei opus fore; eum undique manibus contrectat, dicens: pauci tui æquales sunt, octodecim annos nati! et latus contrectans: [isthic, inquit, obstitit nescio quid[3]: redibis tamen; jam volo ut me digrediens osculeris.

[1]) exigua lacuna in omn. Codd., quæ in membr. duarum triumve vocum spatium occupat. [2]) frequentes, C. [3]) a signo abest in C; ceterum *nà* in voce *vid-na* suffixum est demonstrativum, v. Gramm. isl. Holmiæ ed. Er. Rask 1818, pag. 204, §. 386; aliam notionem habere videtur *na* in voce *enna*, Vigagl. 22, 8; Hryggjarst. partic. de Snegluhallio init., Sturl. lib. 2, C. 26, init. var. l. 5, ubi *cigi ennú* pravè lectum est pro *ekki enna*.

Sic fecit. Jam Thorfinnus, inita cum Audune societate, simul cum eo pergit, usque eo donec Steigam in Gudbrandsdalis pervenerunt, ubi poëtas repererunt, et unacum his Rolfum et Ringum; mox omnes una duodequadraginta viri orientem versus, qua ferunt itinera, equitant, principe legationis Thorfinno, prout vetula præceperat.

Cap. 2. [1]Rex Haraldus, cum ira ei decesserat, cognito, poëtas discessisse, atque unacum his præfectos suos in infestas regiones et pericula se conjecisse, tanta incensus est ira, ut missis per totam Norvegiam nuntiis, copias evocaret, ipse in animo habens, cum primum appeteret æstas, cum Upplandis et Thrandis in Sveciam descendere, quod sibi persuadebat, suorum necis ultionem ab ejus regni incolis esse repetendam. Advocat ex Halogia Thorolfum Kveldulfi filium et Sigurdum de Sandneso, Rögnvaldum de Mjola, multosque alios ex regno boreali; sed ex regni partibus meridionalibus Asbjörnem Hamaris-splendorem[2] ab Heidmarkia, Eysteinem Egdaforkum (fustem Agdensium), multosque potentes viros ex Upplandis. Eirikum filium suum copiis navalibus præfecit, qui orientem versus in Vikiam transvectus, in Gothiam escenderet, indeque agris depopulatis in Sveciam copias duceret. Præter Eirikum copiis navalibus præfectus est Rögnvaldus, dynasta Mæriarum, et Thrandus Muscipula; Hromundus Gulltannus (auridens[3]) ex Sogno, Eysteinn Hætius (minax[4]) ab Vorsia, et multi alii athletæ Haraldi regis. Copiæ navales in Eikundasundo ab

[1]) membr. Cap. 3, de Haraldo rege et poëtis ejus horumque comitibus. [2]) omitt. C. [3]) membr. Gullranius (*aureo rostro*). [4]) membr. *hviti*, albus.

australi parte Jadaris coiere, quo facto orientem versus ad Gothalbim cursum tenuere. Sed ad præfectos et poëtas redeamus: hi orientem versus in Carinas, qua via in Sveciam ducit, tendentes, turbulenta usi sunt tempestate, cœlo gelido niviumque procellis. Die quodam, cum per semitam sylvestrem satis amplam iter facerent, conspiciunt hominem per volantes nivium nimbos adversum se tendentem; agnoscunt Reikulem esse, quærunt, unde adsit. Ille præcucurrisse se, et ingens firmumque deversorium invenisse significavit: janua in medium bifurcum[1] inclinata erat, quam priusquam removere possem, omnes nervos intendere necessum habui; heic intus quadraginta equi stabulare potuerunt, ibidem totidem lecti, neque mercium defuit copia. Thorfinnus infit: mea sententia est, ut eo loco pernoctemus. Quo probato, ad deversorium equitant, ibique se hoc vespere continebant. Die autem in noctem inclinante, audiunt strepitum equorum crepitumque armorum. Vir quidam ad fores equitavit, et hastile januæ impegit ita, ut ea continuo ad parietem revolaret; hunc Thorfinnus cum suis, duoque alios intro equitantes, interfecerunt, equi vero ad stabula sua incurrerunt. Tum vir per ostium equitavit; hunc Thorfinnus gladio petivit, at ille palmam ictui obvertit, ferro inviolabilem, nullo neque clypeo, neque galea,

---

1) *Klofi* quid in januis fuerit, nondum satis scio. Vide P. Vidalini Glossarium, sub voce *Tjaldan á skipum*, in Script. soc. litt. isl. Tom. 7. pag. 210-11. In Eyrb. ed. Havn. p. 226 *hurðarklofi* vertitur clavus januæ, quod neque in nostrum locum, neque alios, quadrare videtur. In Hkr. O. Tr. Cap. 111 *hurð hnigin í miðjan klofa* vertitur fores semiapertæ, quod ut in sensu sine dubio rectum est, ita rem ipsam incertam relinquit.

tectus. Idem recedens foras, loquitur: auditne Hama? Tum vir quidam ingens et spectabilis excepit: quid eum vis? Ille: adsunt in æde nostra viri, qui se aliquos esse putant; etenim, cum in eo essem, ut intro equitarem, tanta vi percussus sum, ut mihi palma, ictui obversa[1], doleret, tres vero alii[2] viri, qui equis prævecti anteverterant... [3] (atque) primi intro equitarunt, omnes, credo, confestim interfecti sunt. Nunc itaque, ait Hama, ad munimentum nostrum recedere præstat. Præstat utique, ait (Sjonius, et potius invicem congredi[4]) cras. Deinde equis revehuntur, illi vero in deversorio pernoctarunt. His nulla res defuit, sumtisque quibus indiguerunt, multo mane iter ingressi sunt. Qui cum paululum processissent, homines viderunt per transversam semitam consistentes, non pauciores quadraginta; in medio agmine vir stabat ingentis staturæ, ut nemo ibi adesset, qui ad axillam ejus pertingeret, idem omnium hominum ferocissimus fuit. Thorfinnus suos jussit intrepide[5] procedere; cum vero convenerunt, interrogavit, quis princeps eorum esset. Ingens ille vir respondit, dicens, nomen sibi esse Hamam, seque ab Helsingia oriundum: hi autem, qui me comitantur, mei sunt socii. Vobis, qualem aliis, qui Carinam transcendunt, conditionis potestatem faciam, ut vitam resque vestras adimam vobis. Thorfinnus eum plus laboris, quam forte suspicati essent, subiturum dixit: ita prælium

1) *ok brá ek brá*, A; *er ek brá*, membr. 2) nostri, membr. 3) una vox in membr. deest. 4) quæ uncis inclusa sunt, ex membr. sunt desumta, in cæteris lacuna est. 5) *úfæliliga*] *ufælltiliga*, B. *úfæltiliga*, C, quod videtur idem esse quod *ofeltiliga*, præcipitanter, Sturl. Libr. 9. C. 3, itaque h. l. minus commodum.

instituemus, ut vir viro occurrat; sed tu, quot annorum es, Hama? Ille respondit: nunc octodecim annorum sum. Hama Thorfinnum, quot annorum esset, interrogavit. Ille, quod ad ætatem attineret, æquales inter se esse dixit. Thorfinnus suos allocùtus, Rolfum et Ringum interrogavit, utrum singuli adversus duos homines depugnare vellent, an adversum solum Hamam: duobus enim plures habent, quam nos. Ii ambo una respondent, malle se cum duobus singulos congredi. Thorfinnus infit: bene est, me et Hamam invicem (in prælio) aspicere; Ingjaldus Skarius alumnus cum Sjonio congrediatur, paucis enim aliorum vires ad id suppetent, ob giganteam adversarii feritatem; Hromundus gladiator furibundus ito adversus eum, qui tertius inter fortissimos est, nomine Ledium; deinceps vir viro adversus ito. Deinde congrediuntur, acriter pugnant. Kolus alumnus[1], cum adversarium sibi oppositum prostravisset, quæ prima res digna memoria gesta est, confestim Thorbjörni Hornklofio subsidio venit; qui cum duo adversarium ejus impeterent, subito facta rerum commutatione, eum occidunt. Tum Thorbjörn Rolfo succurrit, hic enim gravia vulnera, pauca tamen, acceperat, quippe cui artus senio rigerent; at adversarium unum oppugnantes tres, interficiunt. Rolfus eos hortatus est, ut opem Ringo ferrent, qui multa quidem, sed levia acceperat vulnera; sic faciunt, pugnamque illico decernunt. Quæ dum gesta sunt, Hjalmgrimus adversarium, quocum ei res erat, devicerat, quo facto ad Audunem sodalem suum se confert, et jam occidunt eum, quem adversus contendebat Audun. Eo se conferunt, ubi Thorfinnus et Ha-

[1]) membr. *Kolo fóstri*, Kolæ alumnus, v. supra.

ma fortiter et magna cum vi pugnabant, quorum uter alterum superaret, haud facile fuit judicare. Opem ferre Thorfinno voluerunt, sed ille noluit, vetans quenquam eorum certamini se interponere, utercunque superior discessurus esset. Hermundus impigre pugnat. Ingjaldus Skarius et Sjonius variis modis, magna depugnant forocia et magia, ita ut nemo eorum certaminis particeps esse potuerit; sed ut se quisque expediverat, amico suo et sodali opem tulit, eo tandem facto certaminis exitu, ut Hama et Sjonius cum alio tertio in sylvam confugerent, ceteris interfectis omnibus. Nunc in deversorium se referunt, obligant vulnera; Thorfinnus non erat saucius. Hic transactis septem[1] noctibus, orientem versus ex Carina descenderunt, ab equis aliisque rebus bene instructi; deveniunt in vallem quandam, ubi amplum erat prædium; huc se conferunt domum, ibi mulier quædam habitavit, nomine Rudda, femina potens et factiosa. Ea hospitium iis obtulit, et res novas sciscitata est; illi se pauca vel nulla habere, quæ referant, ostendunt. Tum Rudda: sunt forsitan, quamvis dicere non vultis; Sjonius huc, nudius tertius, venit, qui nunc dimidium caput appellatur, is retulit Hamam in munimento vulneribus mortuum; quippe nudata intestina, cum prælio excessisset, vestibus circumvinxisse, atque ita intra munimentum se recepisse, ibique exspirasse. Vos viscera mea tetigistis, nam fuit Hama filius meus; si vero tu, Thorfinne, me uxorem ducere, et in filii locum succedere vis, brevi inter nos gratia coalescet; cui rei ille se paratum ostendit. Hic noctem transegerunt. Postero

[1]) duodecim, C.

die femina armenta gregesque domum compelli jussit, quæ res Thorfinnum non magnopere movebant. Altero die Thorfinnum arcessivit, ut res pretiosas, ceterasque mobiles, quæ ipsi erant, inspiceret: tu enim, Thorfinne, mihi plurimum debes, quippe qui Hamam filium meum [expiandum habeas[1], (neque tamen, quæ antea tibi dixi, retractabo), quod filius Helsingiæ dynastæ fuit. Ille pauciloquum se præbuit; tum ea rogabat, iret secum, ut res suas pretiosas videret; quod et fecit. Hic multas res apprime pretiosas vidit, cum vero illa ex arca omnia extulisset, tres[2] in imo annuli jacebant, quos ut secum auferret, Thorfinnum rogavit. Qui cum se inclinaret ad tollendum, ea stricto pugione eum petebat tanta vi, ut ferrum in ossa penetraret. Ille ad punctam exsiliens, pugno contracto eam percussit, ita ut in pavimentum corrueret, mortemque oppeteret. Sed vulnus Thorfinni tumore inflatum est, eo quod acies pugionis veneno erat medicata, quare extrema vulneris, antequam sanari posset, circumcidenda erant. Huic rei inserviebant ligamenta, a vetula postremo data. Hic cum aliquot noctes peregerant, iter perrexerunt, Sviones mediterraneos minus fidos experti. Die quodam vident triginta homines advehi, horum principem salutant, et de nomine ejus quærunt; ille se Hjalmarem nominari professus est, filiumque esse Helsingiæ dynastæ, nuperque patrimonium adiisse; fratrem suum nominari Hamam, qui excellens vir est, is atque ego eodem patre nati sumus, ille vero mala matre utitur. Thorfinnus quæsivit, quo cogitaret; ille se Uppsalos ad regem Eirikum proficisci dixit, atque eos de profectione sua interrogavit.

[1]) interfeceris, B. [2]) quatuor, membr.

Thorfinnus, ut res erat, ei aperuit, rogavitque, ut causam eorum apud regem Svionum ageret; ille operam suam iis pollicetur, quam fidem alteri alteris dederunt, certisque promissis confirmarunt. Deinde Thorfinnus ei, quæ gesta sunt, aperit. Hjalmar respondet: magnum damnum in Hama fecisse mihi videor, utpote cognato mihi; cum vero malam agendi rationem secutus, latroque factus sit, monitis matris et gigantea indole instigatus, in ditione mea malus et inutilis (noxius) fuit, ut ferre vix potuerim. Cumque huc accedat, quod pulcre vos defendistis, hujus facti causa non succensebo vobis; neque vero quisquam rex est, qui mihi æque placeat, atque rex Haraldus, cujus meritorum fructus de me[1] referetis. Nunc omnes una eo usque pergunt, donec Uppsalos veniunt, ubi rex Hjalmarem comiter exceptum in primaria sede exadversum se collocat; Nordmanni vero parum comiter excipiuntur. Rex causam adventus eorum ab Hjalmare quæsivit. Ille testatus est, missos ab Haraldo rege cum magnis muneribus, ut pax inter civitates fieret; et hoc ipso tempore Nordmanni regem accedentes eadem mandata proponebant. Hjalmar ostendit, regi Eiriko summo honori esse, quod rex, quantus Haraldus sit, pacem ab eo petat, et fateatur, se iram ejus ferre non posse. Jam poëtæ ampla munera proferunt, quæ ab rege Haraldo missa testantur; re autem vera hæc fuit pecunia, quam e deversorio et ab Rudda sumserant. Rex Eirikus, multis hortantibus, delata bene accipit, poëtisque sedem honorificam designat. Poëtæ, cum pace donati erant, eximiam facun-

1) *frá mèr*] *frá mín*, eod. sens. qs. de mea domo, B. sicut, *at sín*, domi suæ.

diæ artem ostenderunt, et carmina laudatoria de rege, aliisque multis principibus, componere exorsi sunt. Cum vero ibi tamdiu mansissent, donec mandatis defuncti essent, venia ab rege accepta, reditum parabant; rex eis sua ex parte Hjalmarem socium itineris adjungit, regique Haraldo amplissima munera cum æquis pacis conditionibus mittit. De his porro referendum, quod sursum ad Carinas, qua ferebat via, deindeque occidentem versus per sylvas pertenderunt. Qui cum haud procul ab tractibus habitatis abessent, obvium habuere regem Haraldum magnis cum copiis, Sveciam infesto exercitu depopulaturum, si quid incommodi suis accidisset. Hjalmar ac præfecti regii, et poëtæ cum sociis ad regem accesserunt, eumque consalutaverunt; quos comiter excepit, existimans, se eos quasi ab orco recuperasse. Nunc omnem longitudinem itineris sui[1] exponunt, et mandata regis Eiriki proferunt, ut et munera, quæ regi Haraldo miserat. Jam revertitur rex, Haukum vero Habrokam (altebraccatum) et Rolfum Nasonem orientem versus in Vikiam ad Eirikum, regium filium, et Rögnvaldum, Mœriarum dynastam, misit, his ut dicerent, pacem inter regna esse constitutam. Hi, duodecim una, iter suum persequentes, vespere quodam, cum per sylvam quandam iter facerent, ad deversorium quoddam ingens veniunt. Heic cum pernoctare placuisset, ostium ædis aperientes, vident duodecim homines igni adsidentes, inter quos Rolfus Sjonium, hujus globi principem, agnovit. Qui aderant, exsilientes arma capiunt, excurrunt ex æde, præliumque committunt. Sjonius

[1]) i. e. suum immensum iter, quo sensu *farleingð* occurrit Sturl. Libr. 3. Cap. 33, fin. var. lect.

Rolfum impugnavit, quorum certaminis is fuit exitus, ut Sjonius adversarium hasta hamata transfoderet, Rolfusque mortem oppeteret. Tum Sjonius: ita demum, inquit, Norvegiæ fines ingredi decreveram, ut necem Hamæ ulcisci studerem; quod etsi in eo, quem optaverim, obtinere non licuit, hoc tamen melius quam non contigit. Haukus, hæc audiens, respondet: in quo obtinuisse malueris? Huic Sjonius: in rege Haraldo aut Thorfinno. Sjonius ad Haukum advolans, hasta eum petivit; Haukus objecit clypeum, quem Sjonius unacum lorica Hauki tanta vi pupugit, ut ferrum in ossa penetraret; quod graue vulnus fuit. Clypeus, manibus Hauki excussus, in hasta hæserat; quare Haukus ingentem securim arripuit, eaque Sjonium percussit, ferro nocendi potestatem amittente. Tum Haukus aversa securis parte brachium Sjonii infra axillam percussit, adeo ut diffringeretur; defluentem hastam Sjonius altera manu corripuit, et in hominem aliquem ex Haukianis torsit; deinde in sylvam aufugit, suis se sequi jussis, tum dimidia pars suorum occubuerat, ex Haukianis viri quatuor. Quibus gestis digrediuntur. Haukus, obligatis suorum vulneribus, ad Eirikum regis filium contendit, eique mandata exposuit. Eirikus, qui antea cum suis Gothiam multis in locis depopulatus fuerat, nunc navales copias reduxit, atque patrem Tunsbergi convenit, quorum uterque alteri, quæ gesta fuerant, exposuit. Thorfinnus et Hjalmar, bonis ab rege donati muneribus, amiceque dimissi, septemtrionem versus in Halogiam revertuntur, qui domum reduces ambabus ulnis accipiuntur; nutrix Thorfinni, eo reverso, lætata, rem haud multum ab conjectura sua aberrasse prædicavit.

Inde Hjalmar, eximiis acceptis muneribus, in Helsingiam redit, comite Thorfinno, qui ibi aliquantisper commoratus est; heic Magnhildam, sororem Hjalmaris, uxorem duxit, cui cum aliquot annos convixisset, Hjalmar mortuus est; tum omnis hæreditas ad Magnhildam rediit, quare Thorfinnus in Helsingiam profectus, ibique dynastæ titulo ornatus est; ibidem genus suum propagavit, multosque habuit nepotes. Eirikus autem, Svionum rex, cum cognovisset, regnum suum hostili manu esse vexatum, vanasque pacis conditiones a poëtis fuisse propositas, gravi ira incensus est; tamen nullum bellum inter hos reges erupit, exinde vero nunquam fida inter eos permansit amicitia. Vitæ dies regis Haraldi Pulcricomi multi et illustres fuere, talisque vitæ exitus, qualis multis auditus est. De quo heic loci plura non commemorantur.

Particula

de rege Sigurdo Sleva, filio Gunnhildæ [1]).

Ferunt, regem Sigurdum Slevam (salivam), cum filii Gunnhildæ Norvegiæ præfuerunt, in Hördia sedem habuisse, virum pecuniæ prodigum, alacris viri speciem præ se ferentem, ingenio varium, mulierosum, et in ea re impotentiorem. Thorkel Klyppus nominatus est vir, dux potens in Hördia, filius Thordi, Hördakarii filii, vir insigni fortitudine, rebusque gestis clarus; uxorem habuit nomine Olavam, pulcritudine et morum elegantia conspicuam. Dicitur rex Sigurdus Sleva nuntium aliquando ad eum misisse, ut ad se veniret; quod et fecit. Tum rex infit: sic res se habet; instat occidentem versus in Angliam profectio, te enim ad regem Adalradum mittere volo, ut tributum ab eo exigas; nam homines, qualis tu es, maxime sunt idonei ad perferenda principum virorum mandata. Thorkel respondet: nonne prius legatos cum talibus mandatis misisti? at vero hi profecti non redierunt. Id quidem verum est, ait rex, verum non similem existimo tuam in agendo strenuitatem, atque eorum, qui parvi momenti sunt. Thorkel respondit: siquidem mei officii judicas hanc legationem obire, non detractabo, quamvis ceteri, qui istuc pro-

[1]) confer vitam Thordi Hrædæ, ed. Holis f. 4ta, cap. 2 & Hkr, Vitam Har. Graf. Cap. 14.

fecti sunt, dubia usi sint fortuna. Deinde Thorkel profectus est, et in Angliam pervenit cum eximio comitatu, regemque convenit Adalradum. Salutantes rex benigne excepit, et quis eorum princeps esset, quæsivit. Thorkel, quis esset, edixit. Rex infit: audivi, te bonam tibi existimationem conciliavisse, quare gratum te exoptatumque adesse jubeo. Deinde Thorkel apud regem per hiemem versatus est. Aliquando regem ita adlocutus est: ea est profectionis meæ ratio, domine, quod rex Sigurdus Sleva me misit, ut tributa abs te exigerem; quam rem facili te ratione expediturum spero. Rex respondit: Antea legati cum iisdem mandatis ad me venerunt, sed hæc postulata regis Sigurdi iniquitatem, magis quam æquitatem, sapere videbantur, prorsus enim ignarus sum, ullum mihi officium incumbere, ut ei pecunias pendam; quare graves dederunt pœnas, qui antea his mandatis functi sunt; apparet quoque, regem de profectione tua, quorsum evasura foret, parum fuisse sollicitum. Placet tamen, Thorkel, tecum æque, atque antea, agere, tuamque merere gratiam et amicitiam; sed amicitiam filiorum Gunnhildæ emere nolo. Proximo vere Thorkel iter ab occidente per mare instituit, multa cum pecunia, magna comitate ab rege dimissus, juncto cum eo firmo amicitiæ vinculo. Postquam vero Thorkel e Norvegia solverat, rex Sigurdus Sleva, missis ad prædia Thorkelis emissariis, Olavam uxorem ejus domum suam abduci curavit, eamque in lecto juxta se collocavit. Tum ea locuta est: domine, inquit, injuste et indigne cum eo agis, qui tibi fidem habet; et plurima mala hinc orientur; nunc tamen, etsi pejus ita sit, res tui erit arbitrii. Rex ait: nunc primum iis, quæ juberis,

utere, neque, quid æquum sit, me doce. Deinde Olava cum rege quavis nocte concubuit. Quod regis factum malum et temerarium omnes homines judicarunt, ipsum pœnas daturum dictitantes. Vere autem, cognito Thorkelis reditu, rex Olavam domum remisit. Quæ singula cum Thorkel Klyppus comperisset, vehementer commotus est; neque eo minus domum in villam suam se contulit, et se pauciloquum et satis asperum præbuit. Cum vero domum perveniret, aderat Olava, atque illico obviam Thorkeli ibat, magna cum comitate, eumque compellavit: salvus adsis, marite, cubiculum intra et quiesce; quid fecerim, etsi minus bonum sit, accepisti, credo; ego vero omnia, quæ in te admisi, lubens expiare volo, eoque facto, reconciliata gratia et concordia, torum tecum communicare. Tum Thorkel respondit, et hos versus pronuntiavit:

Neque sum lectum tecum, diva
cerevisialis receptaculi! neque
culcitam communicaturus,
(magno dolore frontem contraxi),
neque potabo gratas mihi
virtutes lèbetis, priusquam
rostrum sangvinei alitis
cruore tinxero regis mortui[1].

---

[1]) Ordo: *Ek hygg eigi byggva beð, nè svá dýnu, hjá þèr, bjór-ranns nanna a), (ek em ófrýnn af miklu ángri) ok drekk eigi mèr þekkja vallar dáða b), áðr rjóðum bengjóði nef c) í blóði dauðs bragníngs.*

a) *bjór-rann*, ædes cerevisiæ, poculum; hujus *nanna*, femina, cujus erat cerevisiam afferre. *b*) *dáði*, m. virtus; insolens quidem vox, extat tamen vox compos. *ódáði*, m. scelus. *Vallar* referri potest, sec. Skulium Thorlacium (Spec. Antiqu. Bor. 6, pág. 59. 60) ad *vellir*, lebes; sic *vallar dáður*, virtutes lebetis, de generosa cerevisia intelligendum

Tum ea respondit: nunc utrumque est, et grave facinus in te commissum est, et tu ingentia cœpta animo agitas; saneque dolendum, si tanta mala ex me orientur. Deinde indictus est conventus, quo rex Sigurdus magnaque convenit hominum multitudo. Ögmundus nominatus est vir, filius Hördakarii, qui regem comitabatur; is ei adstitit, magnam hastam manu tenens. Dein Thorkel, ad sellam accedens, domine, inquit, nunc inspiciendum est pecuniam, quam ex Anglia advexi; et jam intuere, o rex, ut hoc negotium absolutum sit. Rex inspiciens, cum multas videret res pretiosas: quidni, inquit, hæc res strenue absoluta et bene expedita est? Thorkel subjecit: itaque pars difficultatum amota est. Ille sic erat vestitus, ut amiculum, tæniis instructum, multo ornatu conspicuum, gestaret. Deinde securim, veste absconditam, eripit, regem ferit, letali-

foret. Sed suspicor, locum sanum non esse, neque medela in promtu. Exscriptum hujus Particulæ, quod in manibus habeo, h. l. pro *dauðs vallar dáða*, exhibet *dáðsvaldaða.....*, spatiumque voci vacuum relinquit. Si itaque conjecturæ locus dabitur, ita hunc versum constituerim: *ok dauðs valdaðar drykkju* v. *drekkju-(drekku)*, quæ postrema vox forte omissa fuit a librario, ob sequentem vocem *drekk*, hoc ordine emergente: *ok drekk eigi mèr þekkja drekku*, neque potum mihi gratum potabo; tum in ceteris cohærent: *í blóði bragnings*, *dauðs valdaðar*, in sangvine regis, necis auctoris; nempe ejus, qui multis hominibus periculosa ista legatione mortem facessiverat. In voce *dauðs*, hoc nexu, non hærendum; nam non solum extat phrasis, *at drepa til dauðs*, ad necem percutere (quæ tamen etiam explicari potest ab adj. *dauðr*), sed et occurrit forma subst. *dauðr*, pro *dauði*, in voce compos. *manndauðr*, lues contagiosa, Annales isl. *Valdaðr* subst. verb. a *valda*, qui in causa est, perinde dici potest, ac *valdari*, ab eodem verbo, in Knytl. c) *at rjóða bengjóði, nef í blóði eins*, cadaver alicujus corvo absumendum præbere, est cædem patrare.

que vulnere sauciat. Thorkelem ab cæde vadentem Ögmundus advolans, hasta, quam manu gerebat, transfodit. Quod factum cognati Thorkelis adeo ægre tulerunt, ut missis aggressoribus cum incendio in ædibus conficerent, plurimum interesse discriminis judicantes inter rationes causarum regis ac Thorkelis. Gunnhilda vero, cognita morte filii, magnum se vulnus opera Olavæ accepisse existimans, subornatis hominibus eam contumelia afficere parabat. Quæ cum sensisset, navemque Islandicis commeatibus destinatam cognosceret oceano paratam, ad dominum navis se contulit; is nomine fuit Bödvar, filius Thorsteinis, frater Halli de Sida. Ea iniit: in discrimen vitæ adducta sum, inquit, quare oro te, ut me vexationi Gunnhildæ subducas, et in patriam tuam transmittas. Cui ille: magna te impulsam necessitate judico, quare hoc concedam, sed vicissim mihi debitum postulo, ut meæ voluntati obsequaris. Illa sic fore pollicita est. Deinde cum Gudruna filia sua navem adiit. Post, soluta nave, in Islandiam trajecerunt et in Alptafjördum appulerunt, ubi Bödvar elegantem villicationem instituerat. Quo cum domum venissent, memoriæ proditum est, Bödvarem dixisse: jam rem, in Norvegia pactam, repetam, et conjugium tecum expeto. Illa respondet: scio quidem, existimatum iri, me nunc humiliore, quam antea, conditione uti; sed tu dignus es, qui hoc connubio potiaris. Deinde confiunt nuptiæ, Bödvarque Olavam ducit uxorem, brevi autem convictu utebantur, nam eodem anno mortua est. Deinde Einar Eyolfi filius de Thveraa, in insulæ parte septemtrionali, intelligens pulcram esse conditionem, Gudrunam Klyppi filiam uxorem ducere, cum ea conjugium iniit, et multos ex ea

liberos procreavit. Filius Einaris et Gudrunæ nominatus est Thorkel Klyppus, ab avo materno nomen sortitus, optimæ spei juvenis, cujus multis in historiis mentio fit. Post aliquot annis Olava ad cognatos suos in Norvegiam rediit et femina excellentissima femina judicata est.

Particula
de Thorleivo dynastarum poëta.

(Præfatio.)

Nunc eventa, quæ vergente ætate Hakonis Hladarum dynastæ acciderunt, exponentur, quibus nempe monstris, veneficiis et præstigiis infamatus fuerit, et merito quidem; ejus enim inhumanitas et apostasia multis hominibus gravi oneri et irreparabili damno animi et corporis extiterunt. Huic accidit, quod fere usu evenit, ut instante vindictæ tempore, difficilis fuga sit; ea enim est adversarii (diaboli) natura, ut quem putet hominem omnino in sua potestate habere, cuique nullus ad deum aditus pateat, hunc primo, turpem vitam agentem, decipiat et occæcet versutis astutiis maledictorum dolorum; finita autem temporali hac vita, demergat eum in tenebrosum carcerem diurnorum cruciatuum, addita infinita miseria et vexatione.

De Thorleivo.

Cap. 1. Eo tempore Asgeir Raudfeldus (rubro sago) Brekkæ in Svarfadardalo habitavit, vir potens et genere clarus. Uxorem habuit Thorhildam, feminam sapientem, gratiosam, masculæque indolis. His tres erant filii, bonæ spei juvenes, quorum natu maximo nomen erat Olavus, cognomen Völubrjotus, alteri Helgius Strenuus, quos aliæ historiæ plus attingunt, quam hæc. Minimus nátu filius nominatus est

Thorleivus, is mature statura fuit magna, naturæque bonis et artium peritia inclaruit; idem bonus poëta. Hic apud avunculum suum Skeggium Midfjördensem, Re kis in Midfjördo educatus est, donec fuit annorum octodecim[1]; Skeggius eum inprimis carum habuit, et amore nutricio dilexit. Sermo fuit, Skeggium ex antiquis scientiis (magia) Thorleivo plura, quam alii homines nossent, tradere. Tum Thorleivus domum ad patrem rediit; ille Klaufium Böggvium[2] interfecit, [ope Olavi fratris sui, cujus cædis actio ad Karlum Rufum, filium Klaufii, jure pertinebat; qui tanto studio causam persecutus est, ut Thorleivus damnaretur et ex Svarfadardalo exterminaretur. Ljotolvus pontifex Ynghilda[3] Pulcrigena, sorore Thorleivi, usus fuerat concubina; is effecit, ut Thorleivus, ad navem Gaseyræ[4] constitutam tuto perveniret. Thorleivus, adversa tempestate rejectus, hiemem jam apud Ljotolvum pontificem, jam apud patrem Asgeirem clam transegit; tum a patre res multas ad antiquam scientiam pertinentes didicit, is enim habitus fuit multiscius; tum Thorleivus annorum erat undeviginti. Karlus Thorleivum diligenter conquisivit, multæque res hac hieme ibi gestæ sunt memoria dignæ[5], quemadmodum in historia Svarfdalensium commemoratum est. Vere sequenti Thorleivus, occidentem versus ad alumnum et cognatum suum Skeggium profectus, auxilium et consilium hac in causa ab eo petivit; et auxilio et consiliis Skeggii Midfjördensis et Ljotolvi pontificis, Thorleivus navem, in ostio Blandæ subductam, ab mercatoribus emit, nautisque instruit; quo facto,

[1]) 17, B. [2]) conjectura; *Haflidason*, A. [3]) Ingulda, G. [4]) Haleyræ G. [5]) a signo [absunt in A.

Brekkam profectus, patrem et matrem convenit, viaticum ab iis oravit, et quantum opus esse judicavit, impetravit. Sub vernum tempus merces, ad navem devehendas, curavit convasari, et Brekka cum omnibus suis profectus est, patri et matri et Skeggio Midfjördensi, alumno suo, bene precatus.

Hakon nautas Thorleivi suspendi fecit

Cap. 2. Jam Thorleivus alto se committit, et secundis usus ventis, navem in Vikiam ad orientem appellit; tum Hakon Hladarum dynasta in Vikia commorabatur. Thorleivus in terram egressus, navem fecit exonerari; convenit dynastam, eumque salutat. Dynasta, bene eum excipiens, de nomine, familia et genere ejus interrogavit; quod Thorleivus ei exposuit. Dynasta quoque multas res novas ex Islandia sciscitatus est, Thorleivo ad singula expedite[1] respondente. Tum dynasta: eo res loco est, Thorleive, ut a te nautisque tuis merces venales postulemus. Thorleivus respondit: parum mercium habemus, domine; verum alii emtores magis nobis sunt idonei: quare spero, nostro arbitrio permissurum te, ut quibus libuerit merces bonaque nostra vendamus. Tumidius respondisse visus est dynastæ, cui hæc verba valde displicuerunt; sic his dictis diversi discedunt. Thorleivus ad suos reversus, noctem somno transigit; mane cum surrexerat, emporium obiens, de bonis emtoribus quæsivit, et cum iis merces eo die commutavit. Quo cognito dynasta, magno hominum numero comitatus, ad navem Thorleivi descendit, ibique omnes nautas prehendi colligarique jussit; mox omnibus eorum bonis direptis et in potestatem suam redactis, navem combussit et in cineres

[1]) *oflëtliga*] *af lëtta* id. A.

vertit; quo facto, trabibus inter tabernas injectis, omnes Thorleivi socios suspendi fecit. Abiens deinde cum suis dynasta, merces, quæ Thorleivo fuerant, secum abstulit, et cum suis dispertivit. Vespere Thorleivus domum reversus, cum suos (ut fecit) visitare vellet, facti vestigia deprehendit, quid in socios suos commissum esset, sibi persuadens, hoc turpe facinus a nemine alio, quam Hakone, patratum, diligenter de hac re perquisivit. Quæ cum verè accepisset, hos versus fudit:

Perhorrescit[1] animus mihi;
juvenis damnum passus est;
video plana[2] in lingula
[cineres scaphæ et navis[3].
Ille, qui aggressus est comburere,
damno poëtæ, elephantum undæ[4] —
quis scit, an non carbones navis
ad atrocem ejus vindictam me instigent.

De Thorleivo.

Cap. 3. Post hoc eventum dicitur Thorleivus, conducta in nave mercatorum quorundam vectura, austrum versus in Daniam navigasse, regem Sveinem convenisse, et apud eum hiemem transegisse. Ubi cum non diu fuerat, die quodam regem adiit, et ab eo petivit, ut carmini, quod de ipso composuisset, audientiam præberet. Rex, an poëta esset, interrogavit. Thorleivus respondet: id pro eo est,

1) *brellist*, exasperatur, contra metr. A, sine dubio, vitio librarii, pro *hrellist*, contristatur. 2) salsa, A. 3) *snari*—*knarar*, G. *svart til brands ok knarrar*, nigra vestigia perticæ et navis, A; ex qua lectione conjicere licet, *to svarri* scribendum esse *svarrit*, nisi *i* paragogicum sit; *svarr* autem puto esse id. q. *svarf*, prop. ramenta metalli, h. l. fragmina combustæ navis. 4) i. e. navem; potuit quoque scribi *öldu fýl*, equuleum undæ, eodem sensu.

quale judicium facere voles, domine, cum (carmen) audiveris. Tum rex eum pronuntiare jussit. Thorleivus carmen intercalatum, quadraginta strophis constans, protulit; cujus versus intercalares tales sunt:

Sæpe, secunda adjutus ope
cœlestium siderum regis,
excellens Jotorum princeps[1]
gladios rubefecit in Anglia[2].

Rex carmen magnopere laudavit, collaudarunt et omnes, qui audiebant, dicentes, et bene esse compositum, et decenter pronuntiatum. Rex Thorleivo, in præmium carminis, annulum donavit, selibram pendentem, et gladium, cui ornando quadrans auri impensus fuerat, atque, ut diu secum esset, rogavit. Thorleivus dignas regi gratias egit, et ad sedem suam se recepit. Sic temporis aliquantum processit, neque multum, antequam Thorleivus tanta affectus est tristitia, ut poculis interesse vix adverteret, consessumque consessorum fere negligeret. Quod rex celeriter animadvertens, Thorleivum ad se arcessivit, et dixit: quænam causa est tuæ, o Thorleive, tristitiæ, qui instituta nostra observare vix advertas? Thorleivus respondit: audivisti, credo, domine, difficultatem rei ab interrogante tolli debere. Proloquere primum, ait rex. Cui Thorleivus: composui hac hieme aliquot strophas de Hakone

[1]) *grannir*, pravè, G. [2]) *á Englandi rjóða branda*, gl. rubefacere in Anglia, A, sed *á* subintelligi potest; sic enim *Fagrskinna* in *Eiríksdrápa*, simili nexu: *mörgu landi hann hefir mæki roðit, ok blóðokt sverð borit.* *Roðit*, ɔ: *hefir*, quod subaudiendum, uti sæpe in prosa solet, e. g. Eyrb. p. 124. Vigagl. 6, 7. 23, 8.

dynasta, quos versus femineos[1] appello, nam dynasta poëtice femina appellatur[2]; jam hoc mihi tristitiam affert, si veniam abs te non impetrabo in Norvegiam redeundi, dynastæque carmen afferendi. Tu vero veniam impetrabis, ait rex, sed prius fidem dato, te quam ocissime poteris ad nos rediturum, te enim ob artes tuas carere nolumus. Quo promisso, Thorleivus, conducta vectura, boream versus in Norvegiam contendit, neque prius destitit, quam in Thrandheimum pervenit; tum dynasta Hakon Hladis sedem habuit. Nunc Thorleivus habitum mendici comparat, barbam caprinam mento alligat, sumtum deinde saccum ingentem veste mendici occulit, sicque rem instituit, ut quem cibum sacco injecisset, hunc videretur consumere, nam apertura sacci juxta os hominis barbæ caprinæ suberat; deinde duo bacillos sumit, stilis ferreis præmunitos. Jam, quo contenderat, Hladas pervenit vespere, festum jolense antecedente; quo tempore dynasta, multique viri principes, quos ad convivium

1) *konurvísur*, sine sensu, nisi scribas *konarvísur*, F. *þokuvísur*, versus caliginis, A. 2) Puto scriptorem dicere voluisse, nomen dynastæ mulieris appellationi poëticæ inservire, quod evidentius erit, si legas: *þvíat jarl er kona kend í sk.* Confer Edd. Snorr. Magni Olavii, secundum collationem Jonis Grunnavikensis: *Rètt er at kalla konu konúnga heitum ok slíkum nöfnum; lofðúngr, sem hèr er kveðit:*

Lönd ver lofðúngr röndum hjálmklæðum gefr hilmir
lauks má-ferils hauka; hnítínga frið lítinn.

i. e. rectum est, appellare feminam nominibus regum, aut similibus appellationibus; regis nomine, ut hoc loco:

Rex allii circumdat accipitris solum dat capitegminibus operum nexilium
virgis, digitos avium referentibus; præfectus exiguam quietem.

Sic de operibus muliebribus sumi potest; videndum tamen est, ne de femina bellatrice explicari possit.

jolense vocaverat, in sedilibus consederant. Senex e vestigio aulam intrat; quo cum venisset, vehementi anhelitu gressum molitur, baculis magno nisu incumbit, et ad alios mendicos se convertens, in exteriore aula[1] considet; in ceteros mendicos satis importunum et in tractando paulo duriorem se præbuit; illi vero, inique ferentes, baculis vapulare, cedebant, unde tumultus et clamores extiterunt, ut per totam aulam exaudiri possent. Quod animadvertens dynasta, interrogat, quæ causa sit istius strepitus. Dicunt mendicum quendam adesse, tam malum et ferocem[2], ut nihil non facere sustineat. Dynasta eum ad se vocari jussit, quod et factum est; cumque senex ad dynastam venit, salutandi officium breviter absolvit. Dynasta eum de nomine, genere et origine interrogat. Nomen meum, inquit, minime insolens est: vocor Nidungus Gjallandii filius (Famosus Clamosi v. Ultoris f.) e Syrgisdalis[3] Sveciæ frigidæ oriundus; appellor Nidungus diligens, multa loca obii, multos principes visitavi; ætate vero adeo jam provectus sum, ut præ senio et fallente memoria ætatem meam vix dicere queam; multa autem fando audivi de tua magnificentia et strenuitate, sapientia et amicitiis, de legum latione et modestia, liberalitate naturæque bonis. Cur te tam sævum et difficilem præbes præ aliis mendicis? Ille respondet: quid non exspectandum est ab eo, qui omnium rerum expers, præter labores et miserias, neque quibus indiguit habens, diu in campis et sylvis jacuit? quid mirum, si hic, accedente senecta, ob hæc omnia vehementiam

[1]) stipula, G. [2]) intrepidum, G. [3]) *Sorgardölum*, vallibus tristitiæ, A.

ingenii contrahat, qui antea honoribus et vitæ deliciis apud præstantissimos principes adsuetus, nunc odiis vel vilissimorum oppidanorum exagitatus sit. Dynasta: ecquid artium peritia vales, senex! cum te prædices cum viris principibus versatum? Senex: fieri potest, etsi, juvenis cum essem, non sine causa hoc nomine laudatus fuerim, ut jam vere dictum videatur, quod vulgo dicitur: senem quemque tandem effetum fieri; neque ego tecum, domine, confabulabor, nisi jubeas cibum apponi: adeo enim senio, fame, siti exhaustus sum, ut nullo modo diutius pedibus stare valeam; neque profecto est principe dignum, ignotos homines, quæ uspiam terrarum gesta sint, interrogare, neque, quid usus ferat hominum, animum advertere: omnes enim ea natura sunt, ut cibi et potus indigeant. Dynasta jussit, satis cibi, prout opus esset, ei apponi; quod et factum. Senex autem, cum mensæ accubuisset, e vestigio (v. avide) cibum sumere incipit, proximas quasque patinas, ad quas pertinere potuit, vacuat, ut famuli necessum haberent, cibum denuo afferre. Neque jam senex minore aviditate, quam antea, cibum sumit, cum omnibus consumere videretur, quicquid revera in saccum, supra memoratum, conjiciebat; jam risus omnium coortus est, famulis dictitantibus, hunc senem et esse ventruosum et edacem[*]. Quæ dicta senex non curans, pergit, ut facere instituerat.

Exsecratio in Dynastam prolata.

Cap. 4. Remotis mensis, senex Nidungus dynastam adiens: gratias jam ago tibi, domine; verum tamen malos habes famulos, qui

[*]) *herbergt nokkut*, haud parum cibi sumentem, A; quæ locutio, aliaque similis, nunc in plebejismis sunt.

omnia pejus, quam præcipis, faciunt; nunc autem velim, domine, ut carmini, quod de te composui, audientiam præbere ne dedigneris. Dynasta loquitur: ecquid prius carmina de principibus composuisti? Ego vero, domine, ait ille Dynasta: forsitan eveniat, quod vetus proverbium dicit: bonum sæpe esse, quod canant senes[1]. Age vero, carmen pronuntia, ego autem auscultabo. Tum senex incipit, et ad medium usque continuat, dynasta vero visus sibi est laudes in quavis stropha deprehendere, animadvertens, mentionem quoque fieri rerum ab Eiriko filio præclare gestarum. Procedente autem carmine, dynasta miro sensu affici cœpit, pruritu et scabie totum corpus, inprimis nates, occupante, adeo ut nuspiam quietum se continere posset, tanto pruriginis miraculo, ut corpus pectinibus, qua admoveri potuerunt, defricandum traderet; ubi vero pectines adplicari non potuerunt, panno cannabino tres nodos innecti, eumque duo viros inter nates suas reciprocare juberet. Jam dynasta, cui carmen oppido displicere cœpisset, infit: potesne meliora canere, silicernium! ista enim non minus exsecratio, quam laus appellanda videtur; quare carmen melius finge, nisi pœnas dare velis. Senex facturum se lubenter promisit, et strophas orsus est, Caliginis dictas, quæ in medio carmine probroso sunt, quarum hoc est initium:

Exterior[2] plaga nebula suffunditur,
obscura cogitur procella in occidente;
densam caliginem auri possessoris[3]
nulla de causa huc adesse non puto.

[1]) raro bonum esse poëtam, qui senex versus facere incipiat, A. [2]) orientalis, G. [3]) *mökkr naðrbings níms*; i. e. caligo meo carmine effecta; per *naðrbings nám*, acceptorem auri, sc.

Cum vero strophas, caliginis effectrices, finiverat, tenebræ aulam occupabant; obortis autem tenebris, exsecrationem dynastæ repetivit, cumque ultimi trientis partem novissimam recitavisset, quicquid in aula fuit armorum, sine opera humana, in motu erat, quod multis hominibus nex em attulit. Tum dynasta animo defecit, senex vero e conspectu ablatus est, clausis foribus, serisque non reductis; finito carmine, tenebræ diffugerunt, luxque aulæ reddita est. Dynasta, ut ad se rediit, exsecrationem se propius tetigisse sensit: vestigia quoque rei apparebant, nam tota defluxerat barba[1], et coma ab altera parte medii capitis[2], quæ exinde nunquam recrevit. Jam dynasta aulam purgari, mortuosque efferri jubet, pro certo habens, hunc Thorleivum, neque senem alium ullum, fuisse, jam visum sibi cædis nautarum, bonorumque rapinæ pœnas expetivisse. Porro dynasta, hoc malo affectus, totam hanc hiemem magnamque partem æstatis decubuit.

Profectio Thorleivi in Daniam.

Cap. 5. Hoc de Thorleivo narrandum, quod austrum versus iter in Daniam flexit, id viatici habens, quo aulicos emunxerat. Quantumcunque vero temporis in itinere consumsit, non prius destitit, quam regem Sveinem convenis-

ipsum intelligit. *Námr* bifariam accipi potest, *a*) active (ut *næmr*), qui accipit; *b*) passive, (ut et *næmr*), unde quid sumitur, spoliatus; itaque vel possessor auri, vel spoliatus auro, quod utrumque Thorleivo convenit, *naðrbíngr*, lectus (stratum) serpentis, aurum.

[1]) pubes evulsa erat, A. [2]) *reikar*] *reikjar*, G; *á höfði*, A. Quid *reik* proprie significet, non certo scio; in Edda Snorr. p. 205 distingvitur ab *höfuð*, *hvirfill*, *hlýr*, *vángi*, *hnakki*, *svörðr*, *enni*, itaque pars aliqua capitis est. Legi vel audivi, nescio ubi, *reik* esse dimidium capitis a fronte ad occiput, qua dividitur coma, qs. discrimen capitis.

set, qui eum perquam lætus excepit, et de profectione sua interrogavit. Cui Thorleivus omnia, prout gesta erant, exposuit. Tum rex: nunc nomini tuo agnomen addam, teque Thorleivum dynastarum poëtam nominabo. Tum rex hos versus addidit:

Thorleivus declaravit viris
Thrandorum regis direptionem:
divulgavere homines passim
immanem execrationem dynastæ.
Vir acquisitor pessimum attulit
poëma honorato principi,
ob fractum undæ leonem, atroces
pœnas a regni custode exigens[1].

Thorleivus regi significavit, cupere se in Islandiam reverti, et a rege veniam primo statim vere proficiscendi petivit, quam rex ei concessit, addens: navem tibi cum armamentis et onere mercium tibi utilium, in monimentum additi cognominis, donare volo. Thorleivus itaque, cum hiemem apud regem magno in honore peregisset, sub vernum tempus navem instruxit, in altum solvit, commodis ventis usus, Islandiam attigit, et navem in amnem, qui Thjorsaa dicitur, ap-

1) Hujus strophæ, quæ abest in A, talis ordo est: *þorleifr greindi a) drengjum hroð b) þrœnda þengils; ýtár hafa viða borit frá c) ólítit jarls níð. Njörðr d) rèð fœra virðum vellstœri vestan brage e), galt lands gœti gráliga brot báru ljóns.*

a) *grendi*, attenuavit, evacuavit, legit Olavius de Arte Poët. Veter. Bor. pag. 198. b) vel immanitatem, inhumanitatem (id. q. *hroði*); *hrjóð*, G, eod. sensu, a *hrjóða* (*hrýð*, *hrauð*, *hroðinn*), vastare. Olavius l. c. conjecit *bjóð*, mensam. c) *bera frá*, divulgare, unde intrans. *þat bar frá*, fama celebratum est, et adj. *frábœr.*, celeber, eximius, præstans. d) *Njörðr*, qui profectionibus maritimis et opibus parandis præesse credebatur, h. l. absolute ad Thorleivum, virum mercatorem, transfertur; nisi malis *báruljóns*, et ad *Njörðr* et ad *brot* referre. e) *ok*, add. G.

pulit. Dicunt Thorleivum eodem autumno uxorem duxisse, conjugiumque iniisse cum femina, nomine Auda, filia Thordi, qui Skogis sub Eyafjallis habitavit, ampli coloni et opibus validi, oriundi ex genere Thrasii Prisci; Auda feminarum erat præstantissima. Thorleivus sequenti hieme Skogis sedem habuit, proximo autem vere prædium Höfdabrekkam in Mydalo emit, ubi deinceps habitavit.

Cædes Thorleivi.

Cap. 6. Sed ad Hakonem dynastam redeamus: is ex malo convaluit; sunt tamen, qui dicant, eum nunquam integram valetudinem recepisse. Jam dynasta vehementer cupiens, hujus contumeliæ pœnas, si qua posset, ab Thorleivo sumere, invocat numina sua tutelaria, Thorgerdam Hörgii[1] filiam, et Irpam, sororem ejus, ut magiam, in Islandiam usque vim exserentem, exerceant, quæ Thorleivo exitialis esset; iisdem magna sacrificia offert, oraculumque consulit, quod ex sententia nactus, truncum mari ejectum in formam lignei hominis fabricari, et ipsius arte magica et obtestationibus, vi autem gigantea et mali dæmonis[2] spiritu utrarumque sororum, hominem aliquem interfici, hujusque cor exsectum isti ligneo homini inseri jussit; hunc deinde vestibus induerunt, nomen imposuerunt, et Thorgardum vocarunt, eumque tanta diaboli vi roborarunt, ut incederet et cum hominibus colloqueretur; denique navi impositum in Islandiam miserunt, eo consilio, ut Thorleivum dynastarum poëtam interficeret; Hakon eum bipenni cinxit, quam ex fano sororum abstulerat, quæque Hörgio fuerat. Thorgardus in Islandiam pervenit, quo tempore comitia universalia celebrabantur.

[1]) Hölgii, A. [2]) *fitons*] *Phytons*, A; Pythons, G.

Thorleivus dynastarum poeta comitiis intererat. Die quodam, cum Thorleivus ab tabernaculo suo abscederet, hominem vidit, ab occidente trans Öxaraam ambulantem, statura magna, truci vultu. Hunc Thorleivus de nomine interrogat; ille se Thorgardum vocari fassus, aculeata statim dicta in Thorleivum jactat. Quod audiens Thorleivus, gladium ab rege donatum, quo cinctus erat, stringere parat, sed eodem momento Thorgardus medium Thorleivum bipenni punxit, atque eum transfodit; qui cum punctam accepisset, Thorgardum gladio feriit, ille vero in terram se mersit, ita ut plantæ pedum apparerent. Thorleivus, tunicam adstringens, hos versus fudit:

Intrepidus pugna, audax in cædes
longinquarum erro viarum
in campo e conspectu ablatus est;
quid de Thorgardo factum est?
Multiscium ignis præliaris
numen per saxa penetravit,
haud breve per spatium;
posthæc requiescet in orco[1].

Quibus dictis Thorleivus domum in tabernaculum se recepit, et hoc eventum retulit; quo nuntio omnes homines valde commoti sunt. Deinde Thorleivus, cum se tunica discinxerat,

---

1) Ordo: *Hinn hildardjarfi, vígdjarfr villumaðr refilstíga a) hvarf á velli; hvat varð af Þorgarði? Enn fjölkunni gautr gunnelds hefir farit at grjóti stund ok mílu b); síðan mun hann hvílast í helju.*

a) *Refilstígar*, viæ longinquæ, h. l. et Edd. Snorr. pag. 2., ut puto a *refill*, pirata. b) ad verbum: spatium et milliare; *stund* de spatio dici, docet vita Vigaskutæ, Cap. 6: *ok var mjök laung stund til Þeirra fram Vemundar ok Háls. Míla*, milliare, vox a latino deflexa, occurrit aliquoties in priscis monumentis, e. gr. hist. Ljósvatnensium C. 51.

evolutis intestinis, insigni cum laude fortitudinis exspiravit, magnum sui desiderium relinquens, jam omnibus pro certo habentibus, Thorgardum istum nullum alium fuisse, quam incantationibus et magia Hakonis excitum. Deinde Thorleivus tumulo conditus est, qui tumulus a boreali parte senaculi situs etiam nunc visitur; fratres vero ejus, qui, dum hæc acciderunt, in comitiis aderant, corpus Thorleivi honesto funere extulerunt, eique prisco more parentarunt: Asgeir autem, pater eorum, haud multo ante decesserat. Deinde domum ab comitiis reditum est; atque hæc eventa passim per Islandiam fama celebrabantur, et gravioris momenti visa sunt.

Versus Hallbjörnis.

Cap. 7. Habitavit in Thingvallo vir, nomine Thorkell, pecoribus dives, commodo usus rei œconomicæ statu, in nulla tamen dignitate constitutus. Opilio ejus nominabatur Hallbjörn, cognomine Halius (Cauda). Qui cum in eam consuetudinem adductus esset, ut in tumulum Thorleivi ventitaret, ibi noctu dormiret, et pecudes haud procul ab eo loco pasceret, semper animum ejus subiit cupido, carmen aliquod laudatorium de tumulato condendi, hocque semper in ore habuit, quotiescunque in tumulo jaceret. Propterea vero quod poëta non fuit, eamque facultatem ab natura non acceperat, carmen facere nullus potuit, neque in condendo poëmate plus profecit, quam ut ita inciperet:

Hic situs est poëta,

plura autem addere non potuit. Accidit una nocte, ut sæpius, ut in tumulo jacens idem studium animo agitaret, si quid in laudem tumulati conficere posset. Deinde obdormiscens,

per quietem videt tumulum aperiri, hominemque exeuntem magna statura, pulcreque vestitum; is in tumulum ad Hallbjörnem ascendens fatur: hic jaces, Hallbjörn, atque quæ tibi natura negavit, aggredi conaris, ut laudes meas canas; verum alterutrum accidet, aut ut hæc facultas tibi contingat, idque meo beneficio, præ aliis plurimis, quod potius futurum spero, aut ut frustra sit, istæc amplius conari. Jam hos versus tibi præibo, quos si tenere et experrectus memoriter recitare potueris, inclytus eris poëta, laudesque multorum principum canes, et in hac arte multum dexteritatis ostendes. Deinde ei linguam attraxit, et hos versus prolocutus est:

Hic situs est poëta, qui poëtas
plerisque in rebus[1] plurimum antecelluit;
quem strenuum pugnatorem[2] inaudivi
probrosum carmen fabricasse in Hakonem.
A quo ante postve nemo ceterorum
mortalium talem potuit vindictam
expetere raptarum opum;
ea res inter viros inclaruit.

Carmine laudatorio de me componendo prima ponito poëtices rudimenta, cum experrectus fuerit: in metri genere, in delectu verborum, in epithetis et denominationibus adhibendis summa utere diligentia[3]. His dictis in tumulum recedit, qui sponte occlusus est; Hallbjörn vero, ut somno experrectus est, humeros abeuntis conspicere sibi visus est; idem versus prælectos memoria tenere potuit. Post-

[1]) qui poëtas plurimos, A. [2]) *naddveiti*] *náveiti* ɔ: præbitorem cadaveris, id. dubiè, A. [3]) de voce *kenning*, vide Edd. Snorr. p. 228-30, ubi virtutes appellationum poëticarum sic prædicantur: *kenningar auka orðafjölda, sannkenningar fegra ok fylla mál, nýgjörvingar sýna kunnustu ok orðfimi.*

hæc pecudes domum ad prædia, justo elapso tempore, egit, et hoc eventum retulit. Deinde Hallbjörn carmen laudatorium de tumulato composuit, et summus poëta evasit. Mox peregre profectus, carmina de multis principibus condidit, et ab iis magnos honores amplaque munera accepit, qua ex re magnam pecuniæ vim lucratus est. De hoc multæ relationes, tam in hac terra, quam apud exteros, ore vulgi feruntur, quamvis heic non adferantur. De fratribus autem Thorleivi hoc narrandum est, quod proxima post mortem ejus æstate Olavus Völubrjotus et Helgius Strenuus peregre profecti sunt, necem fratris ulcisci, animo destinatum habentes. His vero nondum fortuna dedit, ut Hakonis dynastæ cervices superstarent, [nondum enim omnia maleficia, ad quæ fata sua eum ducebant, in contumeliam et detrimentum ipsius perpetraverat[1]; multa tamen fana dynastæ combusserunt, et rapinis et cædibus, multisque præterea vexationibus, quibus eum adfecerunt, haud parum ei detrimentum attulerunt. Atque sic narratio de Thorleivo concluditur.

[1]) ab signo [absunt in G.

Particula
de Thorsteine Bovipede.

Cap. 1. Thordus Skeggius (Barbatus) nominatus est vir; is totum tractum Lonensem ab septemtrione Jökulsaæ, hanc inter et Lonsheidam occupavit, et Bæi decem hiemibus habitavit. Cum autem cognoverat[1], columnas sedis suæ primariæ in Leiruvogum infra montana appulisse, fundos suos vendidit Ulfljoto Legifero, qui eodem in Lonum advenerat. Ulfljotus fuit filius Thoræ, filiæ Ketilis Hördakarii, filii Aslaki Bifrukarii, filii Unaris Arnarhyrnæ (aquilini rostri). Cum vero Ulfljotus ad sexagesimum fere annum pervenerat, in Norvegiam trajecit, ibique tres hiemes commoratus est; tum ille unacum Thorleivo Sapiente, avunculo suo, leges, quæ postea Ulfljotinæ sunt appellatæ, composuit. Qui cum peregre advenisset, comitia universalia constituta sunt, ex quo tempore omnes hujus insulæ incolæ communibus legibus usi sunt. Initium legum ethnicarum tale fuit: nemo navem capitatam in oceano adhiberet; si qui adhiberent, capita, priusquam in conspectum terræ venissent, demerent, neque ad terram navigarent hiantibus capitibus aut diductis rostris, ne genii terræ tutelares

[1]) *fór*, quod in textu est, rectius legitur *frá*; secundum Landnamam, pag. 298, cum qua totum hoc caput conferendum est.

perterrerentur. Annulus duarum unciarum, aut major, in pulvinari cujuscunque fani principalis jaceret, quem annulum quisque pontifex in omnibus legitimis conventibus, quos ipse ageret, manu gestaret, eumque ibi cruore tauri sacrificalis, quem ipse ibidem mactavisset, illineret. Quicunque actus forenses coram tribunali peragendos haberet, super eundem annulum juramentum præstaret, testesque duos vel plures nominaret: vos testes cito, diceret, quod juramentum ad annulum præsto, juramentum legitimum, ita me nunc juvet Freyus, et Njördus, et omnipotens ille As deus), ut ego hanc causam sic agam, vel defendam, vel testimonium dicam, vel testes proferam, vel sententiam feram, quemadmodum rectissimum et verissimum et legibus maxime consentaneum esse novero, et omnes actus legitimos peragam, qui ad me pervenient, quamdiu his comitiis interero. Tum insula in quadrantes divisa est, et constitutum, ut tria fora in singulis quadrantibus essent, sed tria fana principalia in cujusvis fori territorio; ibi viri spectatæ prudentiæ et justitiæ delecti sunt, qui fana tuerentur; hi judicia in conventibus constituerent, actiones causarum dirigerent, unde pontifices appellati; unusquisque etiam tributum fano penderet, uti nunc decimæ templo penduntur. Bödvar Albus de Vöso Norvegiæ primus Hofum inhabitavit, ibique fanum extruxit, et antistes fani fuit; is fuit pater Thorsteinis, patris Halli de Sida. Thorer Procerus occupavit territorium in Krossavika a boreali parte Reidarfjördi; inde Krossvikenses orti[1].

[1]) Hoc caput omnes quatuor Codices, cum quibus hæc narratiuncula collata est, ignorant.

De Freysteine.

Cap. 2. Thorkel nominatus est vir, qui Krossavikæ habitavit, Geiteris filius, corporis viribus insignis, strenuus, et[1] audax[2] appellatus; is, cum hæ res gestæ sunt, uxorem non duxerat. Soror sua in domo ejus adolevit, nomine Ornya[3], omnium feminarum pulcherrima, quavis femina peritior[4]; [hoc tamen insigne vitium rebus suis obfuit[5], quod linguæ usum inde a nativitate non habuit; ipsa et frater inter se magnopere diligebant. Thorkel servum habuit, utroque[6] genere peregrinum, nomine Freysteinem; is neque deformis[7], neque tractatu difficilis, [ut ceteri servi[8], sed mitis ingenii fuit[9], facilis in convictu, quolibet ferme homine pulcrior, quare Freystein pulcher appellatus est. Krummus nominatus est vir, qui Krummoholtum, prædium nunc ab habitatoribus vacuum, incoluit; is filius erat Vemundi[10], filii Asbjörnis, filii Krummi Senioris. [Krummus Senior ab Vöso rem familiarem in Islandiam trajecit, tractumque occupavit ab Hafraneso, versus interiora, usque ad Thernunesum, et exteriora omnia, tam Skrudum, quam ceteras insulas exteriores, et ab altera parte introrsum, usque ad Thernunesum[11]. Krummus junior uxorem habuit, nomine Thorgunnam, filiam Thorsteinis, filii Veturlidii[12], [filii Asbjörnis, viri nobilis ex Beitsstadis, filii Olavi Longicolli, filii Björnis filii

1) ideo, add. B. 2) animosus, B, C, G. 3) Oddnya, B, G, ubique. 4) operum muliebrium, add. B, C. pulcrior, G. 5) *málrakki var á hennar rödd*, obscure, B. *þá var mikill meinleiki á rödd hennar*, tum grave impedimentum loquelæ habuit, G. 6) altèro, B. 7) levis, B. 8) absunt in cet. omn. 9) bonus, add C, G. gratus. B. 10) Sigmundi, B. 11) a signo [des. in omn. 12) Sumarlidii, B.

Reidaris[1]. Thorgunna fuit sapiens femina, mediocriter gratiosa, admodum multiscia, [non pulcra, sed indolis antiquæ, durior ingenio, et tamen, simulac animum ad contrarium applicuerat, immodica[2]. Krummus opibus mi-

[1]) ignorant omn., quæ sunt a signo [. [2]) inde a signo [proxime antecedenti, omitt. B, G., præter voces: *ok harð-lynd.* De voce *örskiptamaðr*, quæ in Lex. isl. B. Haldoris reperitur, hæc addere libet: *Örskiptamaðr* is est, qui, cum animum mutaverit, nimius est, qui justum vitæ tenorem non servat, (verbotenus: in mutatione nimius, ab *ör*, intens., quod h. l. nimium et immodicum quid involvere videtur, et *skipti* mutatio). Hoc sensu quadamtenus opposita esse videntur *örskiptamaðr* et *skapdeildarmaðr*; hic enim talis est, qui ingenio suo temperat, in affectibus moderatus, (hodie *stillingarmaðr*). Obiter de hac voce, *skapdeildarmaðr*, quam varie accipi video (cfr. Gloss. Njalæ sub hac voce, et Chrestomathiam island., *Sýnishorn*, ed. Holmiæ Er. Rask, ad Grettl. ed. Hol. p. 98), sententiam meam aperiam. Recte statuunt (Gloss. Njalæ l. c.), verum hujus vocis significatum a notione verbi *deila* pendere. Verbum quidem *deila* sensu ad hunc nexum commodo nusquam se mihi obtulit, sed verbum cognatæ notionis, *skipta*, ad hanc vocem illustrandam facere videtur. Nempe vero simile est, *at deila skapi sínu* idem esse ac *at skipta skapi sínu*, verbo tenus, affectum animum mutare, quæ quidem phrasis hodie valet, animum ad iras vertere, concitatiores animi motus ostendere, sed veteribus, animo temperare, moderari; quam propriam vim in Vatnsdæla deprehendi, Cap. 39 (sec. mscr., nam impressam ad manum non habeo), ubi de Hrolleifo: *þau (Hrolleifr) skipto eigi skapsmunum sínum svá við sono Ingimundar, sem aðra menn, en þeim þótti þat illa, ok einna vest Jökli*, & mox, eodem capite: *Ingimundr mælti: illa gjörir þú, Hrolleifr, at þú stillir eigi skap þitt, ok launar eigi góðu gott.* Hic *at skipta skapsmunum sínum* explicatur per *at stilla skap sitt.* Quapropter *skapdeildarmaðr* in Njala apte vertitur: commodo ingenio præditus; nam, commodus et facilis est et moderatus. Sed vocem contrariam, *örskiptamaðr,* duo inprimis loca illustrant: 1) Eyrb. p. 110 de Berserkis: *þeir voru spakir hvörsdagliga, en örskiptamenn ef þeim var misboðit,* ɔ: in vita quotidiana mansueti fuerunt, sed, si qua affecti essent injuria, immodici. 2) Reik-

nime valuit; hic atque uxor ætate[1] multum differebant; Thorgunna, cum hæc eventa acciderunt, ad maturam ætatem pervenerat; [his nulli erant liberi, de quibus narrationes exierint[2].

Ivar Splendor in Islandiam venit.

Cap. 3. Vir fuit, nomine Styrkar, filius Eindridii, filii Hreidaris[3]; fratres fuerunt Hreidar[4] et Asbjörn, pater Jarnskeggii Yrjensis[5]; horum soror fuit Olava, uxor Klyppi ducis, qui regem Sigurdum Slevam interfecit; frater eorum fuit Erlingus, potens dux in Hördia. Erlingo filius erat, nomine Ivar, hominum omnium pulcherrimus, qui quidem in Hördia educabantur: quamobrem Ivar Ljomius (Splendor) appellatus est; idem quovis homine ab artium peritia instructior, tantæque superbiæ, ut nemini fere liceret in dictis factisve parem se illi ostendere; is longo tempore ab uxore ducenda abstinuerat, quod vix unquam comparem sibi conditionem esse existimavit. Ille sæpius Gimsis in Thrandheimo apud Styrkarem, cognatum suum, commoratus est; hic Styrkar fuit pater [Einaris Thambarskelveris[6], et dicunt quidam, [fratres fuisse Eindridium, patrem Styrkaris, et Asbjörnem, fratrem Ein-

dæla, Cap. 13, de Brando; qui primum hero tam assiduus adhærebat, ut ab ejus latere nunquam discederet: post, neglecto hero, ludicris se et histrioniæ totum dedit; quod cum herus reprehenderet, Brandus integras duas hebdomadas domi se continuit, ne verbum quidem ore proferens: quam intemperantiam castigans herus, ita eum alloquitur: *þú ert örskiptamaðr mikill! nú tak þú aptr gleði þína hæfiliga!* [1]) ingenio, B. [2]) absunt in cet. omn. Codd. [3]) Hreidis, corr. ut videtur, C. [4]) Hreid. C. [5]) *yrjum*] *Rum*, mendose, B. [6]) Grimi Skelferis, B.

dridii Plauti[1]. Inter cognatos, Styrkarem et Ivarem, diu mutuus amor permansit. Ivar diu itineribus mercatoriis operam dedit, tam in Angliam, quam in Daniam commeans. Æstate quadam in Islandiam mercaturæ causa trajecit, et navem in Gautavikam in Austfjördis appulit. Thorkel Geiteris filius, ad navem equo vectus, gubernatorem cum viris, quotquot secum habere liberet, hospitio invitavit. Ivar patrifamilias gratias egit, et se ea venia usurum ostendit, atque Krossavikam cum quatuor viris se contulit, ibique per hiemem commoratus est. Ivar animo erat hilari et pecuniæ largus. Accidit die quodam, ut Thorkel Ornyam sororem conveniret, et gubernatorem domum adesse significaret: velim, soror, inquit, ut hac hieme hospitii ministeria ei præstes, cetera enim familia pleraque suis fungitur negotiis. Ornya characteres bacillo incidit, quod loqui non potuit; Thorkel acceptum inspexit bacillum, in quo hoc argumenti erat: haud inclinat animus, ut ad ministeria gubernatori præstanda descendam; præsagit enim animus mihi, si fecero, ut Ivari famuler, magna mala inde extitura. Recusanti Ornyæ Thorkel magnopere iratus est; quod cum ea animadverteret, surgens ivit intro, et Ivari ministrare cœpit, atque sic perseveravit; procedente vero hieme, apparuit, Ornyam uterum ferre. Quod animadvertens Thorkel, ab Ornya quæsivit, quo in loco res suæ essent, an gravida esset, et ex quo? Tum quoque Ornya litteras incidit, quarum hoc erat argumentum: pro hospitio hiberno Ivar talem tibi gratiam retulit, ut infans, quo gravida sum, ex eo sit

1) a signo : hoc prædium fuisse Indridii, patris Stirkaris, Asbjörnis, et Indridii Plauti, B.

procreatus. Hæc dicens in lacrimas solvitur, Thorkel vero abiit. Interea labitur hiems: appetente vere Ivar navem in Gautavika instrui facit, quo facto cum suis iter Krossavika parat. Thorkel Ivarem, equo vectus, domo in viam deduxit; qui cum una aliquamdiu equitassent, ad gubernatorem conversus, cum eo agere cœpit: qua ratione, Ivar, providebis infanti, qui tibi ex Ornya, sorore mea, est? an tu bene vis facere, atque eam in matrimonium ducere? ego vero eam sic dotabo, ut honori tibi sit. Ivar subito vehementi ira commotus, respondit: malo eventu in Islandiam, si sororem tuam, quæ muta est, ducturus essem ego, qui melioris et generosioris conditionis in Hördia, et pluribus etiam Norvegiæ locis, potestatem habuerim; neque est, quod meum esse contendas sororis tuæ natum, quem ex servis tuis concepit: ista, quam mihi locutus es, magna contumelia est. Thorkel respondit: si neque natum ex Ornya agnoscere vis, et me illamque contumelia verborum afficere, id tuo periculo erit; neque ego ante tales contumelias inultas tuli. Tum Ivar Thorkelem gladio petivit, quæ cæsa pedem tetigit, graveque vulnus inflixit. Tum Thorkel gladium strinxit, et Ivarem feriit, ille vero fuga saluti consuluit, cæsa vero in pedem equi descendit, eumque succidit; quare Ivar, equo desiliens, socios suos cursu insecutus est, Thorkel vero domum Krossavikam revertit. Postero die Thorkel, collecta manu, in Gautavikam cum triginta hominibus equitavit; quo cum veniret, Ivar pontes retraxerat, ventus autem a terra spirabat, unde in altum vela dedit, neque prius destitit, quam in Norvegiam pervenit; deinde domum suam in

Hördia se contulit, et quietus domi mansit. Thorkel Krossavikam domum equitavit, re sua parum contentus, neque enim unquam majorem contumeliam acceperat, quam quanta tum affectus fuerat.

Natus Thorsteinn Bovipes.

Cap. 4. Media æstate, aut post paulo, Ornya infantem peperit; hic puer erat tantæ staturæ, ut homines existimarint, majorem puerum recens natum ab se non visum. Thorkeli nuntiatum est, sororem suam partu levatam, quem ex Ivare Splendore tulisset. Quo ille cognito, furore percitus, exponi jussit; eo autem tempore legibus permissum est, infantes humiliorum[1], si libuisset, exponere; neque tamen bene factum existimabatur. Thorkel servum Freysteinem ad se arcessivit, puerumque perdere jussit, ille vero eo usque facere detrectavit, donec Thorkel ei iram suam comminatus est. Tum Geiter, [pater Thorkelis, in domo filii commorabatur[2]; is puerum exponi vetuit, animum enim præsagire sibi, hunc puerum non parvi momenti futurum, si vivere liceret. Thorkel tam vehemens (iræ impotens) fuit, ut his aures præbere nollet, dicens, nihil aliud futurum[3], nisi ut puer exponeretur. Itaque Freysteinn, quamvis invitus, ad Ornyam ivit, puerum suscipit, et exit in sylvam; puerum panno involvit, segmentum carnis[4] ori[5] inserit, latebras sub arboris radicibus facit, a vento tutas, huc deponit infantem, singulisque diligenter compositis et ordinatis, domum rediit, et hero, se de puero curasse, retulit. Herus bene factum

[1]) pauperum, C. [2]) porcos suos pascebat, B, aperto librarii errore. [3]) profuturum, B, G, H. passurum se, C. [4]) lardum, B, C, G. [5]) manui, B.

prædicavit; atque sic res aliquamdiu in medio jacuit.

Thorstein in domo Krummi adolevit.

Cap. 5. Brevi post accidit, ut Krummus rusticus in sylvam suam lignatum iret; ille vagitum infantis audivit, properat illuc, et puerum invenit, magnæ staturæ, vultusque eximia quæque promittentis; hunc propter lardi segmen jacuit, quod ore infantis excidisse, [ideoque eum plorasse[1], intellexit. Krummus, qui infantem Krossavikæ expositum resciverat, [quantasque minas verborum Thorkel jactasset[1], hunc eundem esse puerum, facile colligebat; cumque ipsum inter et Thorkelem magna intercederet amicitia, atque intelligens, et scelus et damnum esse, si puer tantæ spei, [qui ad res magnas natus videbatur[1], moriretur, sublatum domum portavit, [rem celans[1]. Puer quarto post die, quam expositus fuerat, inventus est. Krummus nomen puero indidit, Thorsteinemque vocavit, suumque esse dixit; qua de re ipse ac Thorgunna consenserant. Sic Thorstein in domo eorum adolescit; quem Thorgunna amore nutricio complexa est, et multas scientias[2] docuit. Thorstein statura magnus et robustus evasit, et omnes artes experiri studuit; tantis fuit viribus, ut septem annos natus, viros adultos, etsi strenui essent, virium magnitudine æquipararet. Die quodam, uti sæpius, Thorstein Krossavikam venit; et ad cubiculum accessit, ubi Geiter, pater heri, in tabulato sedens, pallio velatus, secum solus loquebatur. Puer autem, cubiculum ingrediens, cum puerorum more præcipitantius iret, in pavimento cubiculi collapsus est. Quod animadvertens

[1]) absunt in B, C. [2]) priscas, add. cet. omn.

Geiter, risum tollit; Ornya vero, conspecto puero, in lacrimas effunditur. Puer intro ad Geiterem accedens: an tibi hoc, inquit, adeo ridiculum visum est, quod modo cecidi? Geiter respondit: verum est; ego enim vidi, quæ tu non videbas. Quid istoc fuit, ait Thorstein. [Hoc tibi dicere licet[1]: te in cubiculum ingredientem catulus ursi comitabatur, qui intro in pavimentum præcurrens, cum me conspiceret, gradum stitit, tu vero præceps ferebàris, et in catulo offendens cecidisti. Mea autem opinio est, te neque Krummo, neque Thorgunna, sed splendidiore loco natum. Adolescentulus juxta Geiterem consedit, et cum eo confabulatùs est. Sub vesperam Thorstein se domum rediturum significavit. Geiter oravit, ut sæpe illuc veniret: hic enim te cognatos habere existimo. Egresso adolescentulo, Ornya adfuit, eique vestes nuper concinnatas dedit; deinde ille domum se contulit, [jam in consuetudinem adductus, Krossavikam itandi[2], Thorkele adolescentulum parum curante, excellentem tamen statura et viribus judicante. Geiter Thorkeli filio significavit, credere se, hunc Thorsteinem Ornya et Ivare Splendore natum esse, virumque magnæ strenuitatis futurum. Thorkel, non habere se, quod contra diceret, testatus est: quare hac de re verum exquiramus. Atque postero mane Krummum, Thorgunnam et Thorsteinem arcessivit; qui cum adessent, diligenter de origine Thorsteinis perquirit, conjugibus omnia de origine ejus fatentibus, Freysteine quoque rem a se gestam declarante: quæ omnia inter se conveniebant. Thorkel rem pulcre administratam judicans,

1) Geiter locutus est, B, C, H. 2) sæpeque salutem Krossavikam misit, B.

[Freysteini gratum animum testatus est[1]. Jamque Thorstein, de genere suo certior factus, Krossavikam [ad manendum[2] concessit; cui Thorkel perquam benignum se præbuit.

Somnium Thorsteinis.

Cap. 6. Autumno[3] aliquo, cum incolæ in montana abire parabant (oves quæsituri), dicitur Thorkel a cognato suo Thorsteine petivisse, ut una cum his iret; annuit ille, et tum natus annos decem a Freysteine in societatem itineris adsumitur. Qua ferunt itinera, procedentes, magnum ovium numerum reperiunt; inde domum iter ingressi, die multum vesperascente, [soli duo Thorstein et Freystein[4] in profundam vallem deveniunt, ubi ingentem tumulum conspexerunt. Hic noctem transigere statui, ait Thorstein, tu vero, Freystein, pervigilato; cave vero, ne me somno excites, quicquid tandem turbarum inter dormiendum concivero; magni enim interesse duco. Freystein facturum se pollicetur. Deinde Thorstein obdormivit; procedente vero nocte, insomniis valde agitatus est, nam calcibus et occipite solo obluctatus est, quod ad diluculum usque duravit. Freystein dubitabat, Thorsteinem expergefaceret, nec ne. [tanta hic insomniorum molestia inquietatus est[4]. Ubi vero illucescebat, somno evigilavit Thorstein[5], sudore perfusus, sicque loquitur: fideliter nunc quoque[6] vigilasti, Freystein; jam duo fecisti, quibus præmium meruisti, primo, [cum exposuisti me, deinde vero nunc[7]; cujus nunc hoc præmii a me referes, quod libertatem tibi ab Thorkele cognato

1) pro educatione gratias egit, C. 2) omitt. B, C, H. 3) tempore, B, C. æstate, H. 4) omitt. cet. omn. 5) valde fessus et, inser. B, G, H. 6) hac nocte, inser. B, H. 7) hanc sententiam codd. variant, sensu non multum discrepante.

meo impetrabo; en duodecim argenti selibræ, quas tibi donare volo. Nunc autem somnium meum exponam tibi: per somnum vidi huncce tumulum aperiri, virumque inde egredi, rubris indutum, magna statura, non [omnino malam indolem[1] vultu præferentem. Hic vir Thorsteinem[2] adiit, eumque salutavit; quem benigne excipiens Thorstein, de nomine, et ubi domum haberet, interrogavit. Ille se Brynjarem[3] vocari professus est, domumque in tumulo isto habere, quem in hac valle situm vides; te autem novi, qui vocere, quove genere ortus sis, et hoc quoque, te magnum virum fore; mene sequi vis, et domicilium meum inspicere? Annuit Thorstein, surgit, securim capit, quam ei Thorkel dederat; ingrediuntur in tumulum. Quo veniens Thorstein, vidit domum ab omnibus rebus bene instructam; conspexit a dextra undecim viros in scamno sedentes, omnes rubris indutos, et subtristes[4]; ab altera parte duodecim viros, omnes cæruleis indutos, quorum princeps[5] statura maximus fuit et vultu admodum truci. Brynjar, capite ad Thorsteinem inclinato: magnus ille vir frater, inquit, meus est, neque tamen sumus ingenio similes; ei nomen est Oddo, plerisque male cupit, malam mihi præbet vicinitatem[6], mihi vero virium magnitudine tanto prævalet, quanto major ei est statura; ego autem et mei consentire coacti sumus, ut ei quavis nocte selibram [auri aut libram pondo[7] argenti, aliamve rem pretiosam, æqualis pretii,

---

1) malum virum, cet. omn. 2) me, B. 3) Krummum, cet. omn. et sic ubique. 4) splendide ornatis, cet. omn. 5) hanc vocem sec. cet. Codd. in versione addidi, non enim abesse potest. 6) i. e. non mecum pro sortis necessitudine vivit. 7) omitt. cet. omn.

tradamus; quæ pensio mensem proxime antecedentem tenuit, adeo ut jam inopia pecuniæ numeratæ laborare cœperimus. Oddus servandum habet aurum[1], ejus naturæ, ut, si quis id mutus linguæ supposuerit, continuo facultatem loquendi recuperet; et hujus auri ope mater tua usum lingvæ recipere poterit; Oddus vero id tam diligenter custodit, ut nunquam ab se[2], neque noctu, neque diu, dimittat. His dictis juxta socios suos consedit, Thorsteinn vero extremum locum occupat. Cum aliquamdiu sederant, surgit Brynjar, transit ad Oddum fratrem, eique crassum annulum tradit. Oddus tacens accepit; Brynjar vero ad sedem suam regressus est. Sic unus post alterum surrexit, singulique pretiosam aliquam rem ei attulerunt, nullis gratiis ab eo vicissim actis. Quod ubi omnes fecerant, Brynjar Thorsteini: factu optimum[3] est, credo, ut idem, quod ceteri, facias, Oddoque aliquid pecuniæ afferas; [aliud non proderit, cum in nostro scamno sedeas[4]. Oddus, vultu ad minas valde composito, elatius sedebat, horroremque aspicientibus incutiebat. Thorstein surrexit, manu securim tenens, et ad Oddum transiens, loquitur: haud equidem rebus abundo, Odde, ut hanc tibi pecuniam præstem, neque tu magna postulabis, credo, cum pauper sim. Oddus respondebat, et majore quidem cum indignatione: adventus quidem tuus minime mihi jucundus est; verum quidni liceat, ut præstes[5], quod tibi libet? Nihil habeo, præter securim meam, si hanc acceptare vis. Oddus manum porrexit ad accipiendum, Thorstein vero ictum ei intulit, quo brachium supra cubitum abscindebatur.

[1]) cimelium, B, G. [2]) ab collo suo, cet. omn. [3]) e malis minimum, cet. omn. [4]) omitt. cet. [5]) præstabis tamen, B.

Tum Oddus exsiliit, omnesque, qui in tumulo erant, arma super ipsis suspensa rapiunt, manusque utrinque conserunt. Intelligit Thorstein, certamen inter se et Oddum, postquam hic manum amiserat, haud magnopere impar esse; cœruleis vestibus induti omnes strenuiores ei videbantur; hoc videt quoque, etsi invicem amputent brachia aut pedes, aliisve gravibus vulneribus alteri alteros saucient, horæ momento integros reddi; si quas autem cæsas inferebat Thorstein, naturalis effectus non defuit. Thorstein ac Brynjar cum omnibus suis non prius destiterunt, quam Oddus cum omnibus suis interfectus erat. Thorstein pugnando quidem lassus, non tamen saucius erat, quod Brynjar et socii sui eum contra omnes ictus[1] defenderant. Jam Brynjar aurum ab Oddo interfecto detractum Thorsteini tradit, matrique dare jubet; duodecim selibras argenti in crumena dedit, dicens: tu mihi insignem libertatem, Thorstein, conciliavisti, nunc enim huic tumulo et possessionibus præsum; hoc rerum gestarum, quas apud exteros patrabis, erit initium[2]; religionem quoque, quam profiteris, cum nova commutabis, quæ multo quidem melior est, quibus eam licebit obtinere; his autem, qui ad hoc non facti[3] sunt, et tales sunt, qualis ego, (nos enim fratres tumulicolæ fuimus), sera talium bonorum spes[4] est; quare permagni mea interesse duxerim, si tibi filium procreare fortuna dederit, ut huic in baptismo meum nomen imponas. Quibus dictis ex tumulo me eduxit, et, antequam digressi sumus, hæc addidit: si quid mea dicta valent[5], omnia tua facta feliciter tibi vertant et in gloriam ce-

[1]) punctas, B. [2]) hic præcursor, B. [3]) nati, B. [4]) major difficultas, cet. omn. [5]) denuntio, add. B.

dant. Posthæc Brynjar in tumulum regressus est, ego vero evigilavi. Cui rei signo est, quod tam crumena, quam aurum, hic adsunt. Deinde abierunt, domumque pecora ab se inventa compulerunt, [coloni vero quas desideraverant oves recuperaverunt[1]. Thorstein hanc rem omnem, quæ evenerat, retulit, matrique aurum dedit, quæ simulac id linguæ subjecerat, loquendi facultatem recepit. Hic tùmulus in Jökulsdalo situs est, et tumulus Brynjaris[2] appellatur ejusque vestigia hodieque apparent.

Freystein Ornyam ducit uxorem.

Cap. 7. Freystein brevi post tempore, Thorsteine hortante, libertatem recepit, quam ei Thorkel benigne et lubenter concessit, quod eum diligebat, novit enim eum honesto loco natum, genusque suum ad nobiles majores referre. Grimkel, pater Freysteinis, [habitavit in Vöso, et in matrimonio habuit Olavam, filiam Brunolvi, filii Thorgeiris, filii Vestaris[3]; Sokkius autem pirata[4] patrem Grimkelem incendio in ædibus necavit, puerum vero in servitutem vendidit, quem Geiter in hanc insulam transvexit. Nonnulli perhibent, Thorsteinem Freysteini matrem Ornyam nuptum dedisse. Freystein Pulcher Sandvikæ in Bardsneso[5] habitavit, [et possedit Vidfjördum et Hellisfjördum[6], et inter primos insulæ occupatores habitus est. Ex eo ortum ducunt Sandvikenses, Vidfjördenses[7] et Hellisfjördenses.

De Thorsteine.

Cap. 8. Asbjörn Kastanrazsius (vortices pro-

[1]) absunt in omn. [2]) Krummi, cet. omn. [3]) a signo: magnus vir fuit, C, G, H. [4]) Bollius-malefactor, cet. omn. [5]) Brandsneso, C, G, H. Brandsvallo, B. [6]) omitt. cet. omn. [7]) Midfjördenses, B, C, G.

pulsans[1]) navem habuit in Gautavika subductam; in hujus nave locum sibi conduxit Thorstein, tum duodecim annos natus. Thorkel ei viatici quantum satis esset, dedit; et priusquam Thorstein ad navem equitaret, ipse ac mater collocuti sunt. Ea infit: jam tu, fili, patrem tuum, Ivarem Splendorem, convenies; qui si te natum ex se agnoscere detrectabit[2], heic tibi unus est annulus, quem ei tradito, dicens, hunc annulum mihi ab ipso prima vice datum: tum infitiari non poterit. His dictis filius ac mater diversi discedunt; ille ad navem se contulit, eaque æstate peregre abiit, et autumno ad Norvegiæ partes boreales appulit. Thorstein ad Styrkarem Gimsas concessit admanendum, ibique hiemem transegit; horum animi brevi ad amicitiam incaluerunt, quod Styrkar intelligebat, Thorsteinem artis naturæque bonis excellere, qui jam tum viros robustissimos in quovis exercitationis genere æquipararet. Eadem hieme aliquanto ante festum jolense adfuerunt nuntii Ivaris Splendoris cum mandatis, qui Styrkarem ad convivium jolense Ivaris nomine invitarent; [missorum principi nomen erat Björn[3]. Styrkar se adfuturum pollicitus, domoque profectus est cum triginta viris, Thorsteine itineris socio; qui cum adfuissent, Styrkar benigne exceptus, proxime Ivarem in convivio accubuit. Convivium pulcre administrabatur, et ultimo convivii die, antequam abirent convivæ, Thorstein Ivarem adiit et fatus est: hac de causa venio ad te, Ivar, ut sciam, an me, ut ex te patre natum, agnoscere velis. Ivar contra: quod

[1]) Bastaurasius, B, G. Cognomen Kastanrazius viro navigatori additur, Sturl. Lib. 3, Cap. 7. 8, cfr. Lib. 2, Cap. 6, not. 7.
[2]) te ex alio patre procreatum suspicabitur, G. [3]) absunt in B.

tibi nomen est, aut unde ades? Nomen mihi est Thorstein; mater mea vocatur Ornya, filia Geiteris, in insula Islandia; en annulum, quem me tibi jussit signi loco tradere, dicens, agniturum, sibi a te muneri datum. Ivar valde rubuit, sicque locutus est: næ tibi multo pejor pater est; satis utique servorum in Islandia est, quos tibi mater tua patres inducat; [et, ut verum dicam, deterrendos existimaverim homunculos et Herjanis filios (homines scelestos et invisos), ne se quisque meretricis filius dicat natum ex me[1]. Thorstein etsi vehementi ira commotus est, tamen in respondendo moderatum se præbuit, dicens: malum fortique viro indignum responsum dedisti; sic autem alio tempore veniam, ut aut tibi agnoscendum sit me, aut pereundum. Quibus dictis Thorstein abiit. Ivar Styrkari: vellem, cognate, ut stultum huncce hominem interficeres; ab eo enim nihil non mali[2] exspectandum duco. Nolo, ait Styrkar, eum enim existimo justiora loqui, quam tu: nam opinor, eum amplo genere ortum esse. His dictis, Ivar et Styrkar indignabundi digrediuntur; Styrkar, et cum eo Thorstein, domum Gimsas revertitur. Styrkar sororem habuit, nomine Herdisam, forma pulcherrima; hanc inter et Thorsteinem amoris affectus extitit. Ibi duas hiemes cum commoratus esset, in Islandiam reversus est, domumque Krossavikam pervenit, magna gloria in hac peregrinatione auctus. Cum vero tres hiemes in Islandia fuerat, in Norvegiam cum Kolbjörne

[1]) atque hæc magna contumelia est, quod pati cogor, Herjanis et meretricum filios appellare se natos ex me, B. et, ut verum dicam, pati cogor, Herj. et mer. f. &c. C. et mirum est, multos Herj. et meretr. fil. vocitare se natos ex me, H. [2]) nihil liberali homine dignum, B.

Sneypere (cavillatore[1]) trajecit, atque etiam tum Gimsas se contulit ad Styrkarem, qui eum hilari animo excepit.

Gigantes sylvam Heidensem infestantes.

Cap. 9. Exacte relatum est, hac ipsa æstate principum mutationem in Norvegia factam, decessisse Hakonem dynastam sacrificulum, in ejus autem locum Olavum Tryggvii filium successisse. Hic omnibus veram[2] religionem annuntiavit. Perlatum est ad regem Olavum, gigantes sylvam Heidensem obsedisse, omniaque itinera infesta reddere. Quare rex, coacto consilio, quærit, qui eo proficisci, atque sylvam Heidensem tutam reddere velint. Surrexit vir, magnæ staturæ, [alacritatem motu corporis ostentans[3], nomine Brynjulvus, præfecti munere in Thrandheimo fungens, et locutus est: proficisci volo, domine, si placet. Placere sibi rex confirmat. Tum Brynjulvus, sexaginta[4] viris comitatus, iter ingreditur; equitat cum suis ad domum viri cujusdam, nomine Thorkelis[5], ad pernoctandum; hic liberaliter excepti noctem transigunt: sequenti mane ab hero in viam deducuntur, magnum esse damnum significante, quod non liceret[6], talibus viris diu frui. Deinde inceptum iter eo usque persequuntur, donec ingentem ædem solitariam conspexerunt. Hinc cursu tendentes tres gigantes feminas animadverterunt, duas juvenili specie, unam statura ceteras antecedentem, toto corpore villoso, ut si ursus glaucus (terrestris) esset; hæ omnes gladios manibus tenuerunt. Viderunt quoque ingentem hominem, si homo appellandus est, incedentem, et

[1]) juvene, B, C, G, H. [2]) christianam, B. [3]) robustus, B. terribilis, G. [4]) quinquaginta, cet. omn. [5]) accolæ sylvæ Heidensis, add. omn. [6]) uxoribus, add. B. regi, add. C, G, H.

cum eo duos adolescentes; is nudatum gladium manu gerebat, adeo splendidum, ut stricturas emittere videretur; omnes gigantes aspectu terribiles[1] fuerunt. Mox prælium ortum; vir ille ingens, item gigas villosa, graves ictus intulerunt, eo tandem conflictus exitu, ut Brynjulvus cum toto suo comitatu occubuerit, præter quatuor[2] viros, qui in sylvam elapsi, ad regem redierunt, eique hæc eventa retulerunt, quæ fama passim divulgata sunt.

Thorstein gigantes superavit.

Cap. 10. Jam memorandum venit, quod Styrkar cum Thorsteine loquitur, et interrogat, an secum in sylvam Heidensem proficisci velit. Thorstein ad hoc iter se paratum ostendit. Die quodam bene mane accingunt se itineri, et perticis cursoriis (schidiis nivariis) in montana feruntur, cursu non prius intermisso, quam die in vesperam inclinante ad montanum quoddam deversorium pervenissent, ubi pernoctare statuerunt. Opera sic inter se partiuntur, ut Thorstein aquatum eat, Styrkar ignem accendat. Exit Thorstein, sumta quam ei Styrkar dederat hasta, altera manu situlas[3] gerens. Cum ad locum aquæ pæne venerat, adolescentulam videt, situlas ferentem, non quidem insolita proceritate, sed crassitudine enormi; quæ, viso Thorsteine, situlas dejicit, subitaque corporis conversione in viam revolat. Thorstein quoque, relictis situlis, præcurrentem insequitur, quod videns adolescentula, incitato cursu[4] fugam properat; sic utrique, quantum possunt, cursum intendunt, spatio invicem neque longiore, neque breviore; quod perseverarunt eo usque, donec Thorstein ædem

[1]) specie non humana, B, G. torva facie, C. [2]) tres, B, G, H. [3]) duas, add. C, H. [4]) cedendo, B. currendo, G, H.

solitariam ingentem et firmiter fabricatam vidit. Huc intro se corripit adolescentula, januamque ostio allidit; quod videns Thorstein, hastam in eam conjecit, quæ in januam ædis allapsa est, [eamque transvolavit[1]. Thorstein ædem accedit, intrat, hastam in pavimento reperit, adolescentulam verò, quacum ei res erat, nuspiam videt; dum autem interiora ædis perlustrat, ad clausum cubiculum pervenit, ubi lumen in candelabro ardebat. Thorstein feminam, si hoc nomine appellanda est, in lecto cubantem animadvertit, et proceram et crassam, habituque omni ex parte giganteo, vastioribus faciei lineamentis, aspectu[2] nigro et livido; ea indusio bombycino induta jacuit, quod indusium haud absimile fuit atque si humano sangvine lotum esset. Gigas, sopore oppressa, terribili sono stertebat; clypeus et ensis supra eam pendebant. Thorstein, spondam lecti conscendens, gladium deripit, vaginaque nudat; post, veste giganti detracta, videt toto corpore villosam esse, præter unum spatiolum sub ala sinistra, [quod purum esse animadvertit[3]; persuasit sibi, aut hac parte, aut nullibi corpus ejus ferro posse vulnerari; quare hunc ipsum locum gladio pungit, bullis manubrii incumbens; telum vero tantum acumine valebat, ut mucro culcitæ inhæreret. Excitata somno vetula, quasi insomniis exagitata, incertas manus circumtulit et stratis exsiliit. Thorstein, uno corporis motu, et exstinguit lumen et gigantem in lecto transilit; illa vero in pavimentum proruens, quod putabat, percussorem ad fores se recepisse, cum illuc venisset, in gladium collapsa sopitur atque ex-

1) omittunt cet. omn. 2) cute, H. insuper nigram et l., B.
3) omittunt omnes.

spirat. Tum Thorstein ad eam accedens, gladium vulnere extractum secum tulit; quo facto procedit, donec ad januam pervenit, trabi interjunctam, neque[1] penitus in bifurcum inclinatam; in tabulato conspicit hominem sedentem, ingentis staturæ, vasta membrorum compage; supra eum panoplia sua suspensa erat[2]; ab altero ejus latere ingens femina gigas sedebat, vultu truci, neque admodum annosa; duo pueri in pavimento ludebant, quibus coma nuper ex capite pullulaverat. Femina gigas infit: an somnus tibi obrepit, pater Jarnskjölde? Minime, filia Skjaldisa, sed insident mihi magnorum virorum mentes (i. e. genii). Tum pueros compellans, alterum Haki[3], alterum Hakii[4] nomine, prodire ad matrem Skjaldvaram jussit, scituros, utrum vigilaret an dormiret. Skjaldisa respondit: minus tutum est, pater, pueros tenebris committere; tibi enim indicabo, quod hoc vespere duo homines vidi ex monte decurrentes, tanta pedum pernicitate, ut ex nostris paucos his pares existimem. Hoc parvi interesse puto, ait Jarnskjöldus; nam eos solos homines rex huc mittit, a quibus haud timeam; unus vero homo est, a quo metuam, hic Thorstein vocatur, filius Ornyæ, ex insula Islandia[5]; est autem perinde ac si fascia[6] pro oculis meis obtendatur, omnia mea fata occultans, quicquid tandem in causa sit. Ea contra: non credibile est, pater, hunc Thorsteinem unquam in sylvam Heidensem adfutu-

1) hæc vocula abest in cet. omn. 2) omitt. H. 3) Hauki, B, G. Hroki, C, H. 4) Jakii, B. 5) qui huc in Norvegiam modo advenit, et Gimsis apud Styrkarem hospitatur, add. cet. omn. 6) fasciæ, in pl. C. fasciola, B, G. *blað fyrir blað*, quod exhibet F, videtur esse mendum scripturæ.

rum. Jam procedunt pueri, et, decedente Thorsteine, foras excurrunt. Post vero aliquanto Skjaldisa infit: exire lubet. Mox vehementi vastoque impetu per ostium prorumpit, cedente Thorsteine; ubi vero ad fores exteriores pervenit, in matrem exanimem incidens collabitur; qua ex re tristi et miro horore affecta, ex æde procurrit. Hoc ipso momento adveniens Thorstein, gladio, qui Skjaldvaræ fuerat, manum ei præcidit, et rursus intrare conantem ab aditu prohibet; ea ensem falcatum manu gestabat; aliquantisper conflixerunt, eo tandem facto certaminis exitu, ut Skjaldisa exanimis caderet. Hoc ipso tempore exit Jarnskjöldus, nudum gladium manu tenens, telum splendidum et acumine conspicuum, quale Thorstein nunquam se vidisse arbitratus est. Illico Thorsteinem gladio feriit; hic ictum declinans, in femore vulneratus est; cum vero gladius in terram capulo tenus descendisset, et Jarnskjöldus prono corpore inclinaret, Thorstein ensem ab Skjalvara possessum magna vi et subito librat, Jarnskjöldumque ferit; quæ cæsa in axillam descendens, brachium et pedem abscidit, et Jarnskjöldum humi prostravit. Tum Thorstein, vehementes ictus non differens, caput ei præcidit; quo facto, ædem intrat, ingrediens vero nec opinato sublimis rapitur et humi dejicitur. Tum Thorstein animadvertit, vetulam adesse Skjaldvaram, tunc multo quam antea magis intractabilem; ea Thorsteini prona incubuit, eique guttur præmordere paravit. Jam Thorsteinem recordatio subit, quantus sit, qui cœlum et terram creavit; multas quoque et memorabiles res de rege Olavo, et religione, quam prædicavit, audiverat: quare puro corde et sincero animo vovet, si salvus vivus-

que [ex tanta magiæ vi[1] evasisset, se religionem accepturum, regique Olavo, quoad vixisset, serviturum; cumque ea dentes gutturi Thorsteinis admovere parabat, ille vero votum absolverat, radius immanis splendoris in ædem penetrans, adversos vetulæ oculos perstringit: quo viso adeo male est affecta, ut omnibus viribus deserta, [fœdis distortionibus[2] oscitare cœperit; tum vomitum ejecit, qui in faciem Thorsteinis effusus fecit, ut præ graveolentia et fœtore pænè exspiraret; cujus partem pectori Thorsteinis infusam fuisse, opinio est, eo quod exinde nunquam existimatus sit naturam humanam omnino simplicem servasse, [sive hoc tribuendum est vomitui Skjaldvaræ, sive quod expositus fuit[3]. Jam sic utrique vitæ necisque medii jacuere, ut neuter surgere valeret.

De Thorsteine.

Cap. 11. Sed redeamus ad Styrkarem in deversorio remanentem. Hic, cum Thorstein diutius abesse videretur, in sedile se rejecit; ubi cum aliquamdiu decubuisset, intro currunt duo pueri, gestibus valde furiosis, suum quisque gladiolum manu tenens. Styrkarem illico impetunt; ille vero, arrepta trabe sedilis, percutit eos usque eo, donec utrumque interfece-

---

[1]) ex sylva Heidensi, cet. omn. [2]) immensum, B, C, G. horrendum H. Vocem *niðörkliga* positam puto pro *niðörgliga*, *k* et *g* permutatis, quod retulerim ad verbum *örga*, distorquere, Hkr. ed. Havn. Tom. 3. p. 273, et consimile huic, *at örglast upp við olnboga*, in cubitum moliri, Hkr. O. Tr. C. 109. Sensus itaque est, nisus cum magna difficultate conjunctus; h. l. autem intelligitur oscitatio cum convulsione conjuncta. Nota: verbum *örga*, unde hanc vocem declinavi, in Cod. Morkinskinna scribi *aurðga*, et cum accus. poni, ut vero simile sit, cognatum esse adj. *örðigr*, difficilis. [3]) omitt. B.

rat; deinde ex æde egreditur, jam suspicatus, quid Thorsteinem tardavisset; ad ædem solitariam progressus, rei gestæ vestigia animadvertit, duo nempe gigantum cadavera ibi jacentia, Thorsteinem vero nuspiam videt. Quare metuens, ne in aliquo vitæ discrimine constitutus sit, votum creatori cœli et terræ nuncupat, si ea nocte Thorsteinem sodalem vivum et salvum reperisset, se religionem ab rege Olavo annuntiatam amplexurum; deinde ædem ingressus eo venit, quo loco Thorstein et Skjaldvara jacuere; quærit, ecquid Thorstein loqui valeat, ille vero hoc [in mora non esse[1] significans, petit, ut opem sibi ferat. Apprehensam deinde Skjaldvaram Styrkar detrahit, quo facto Thorstein surgit, membris valde rigentibus, tam conflictu, quem cum gigantibus habuerat, quam amplexibus Skjaldvaræ; tum cervices vetulæ Skjaldvaræ frangunt, non sine summa difficultate, quod cervix ejus enormi fuit crassitudine. Jam Thorstein Styrkari omnia, quæ in itinere suo gesta erant, exposuit. Cui Styrkar: tu vir es rebus gestis clarus, ut vero simillimum sit, horum tuorum gestorum memoriam, quoad terræ septemtrionales inhabitatæ sint, duraturam. Tum coacervata gigantum corpora, subjecto igne, comburunt et in cineres redigunt; quo facto ædem scrutati, nullis inventis rebus pretiosis, domum Gimsas reversi sunt. Hæc, quæ gesta erant, fama passim divulgata, graviorisque momenti visa sunt.

Ivar Thorsteinem ex se natum agnoscit.

Cap. 12. Rex Olavus in Hördia convivio intererat; huc Styrkar et Thorstein se conferunt, regem adeunt, eumque salutant. Aderat tum quoque Ivar Splendor, tanto apud regem ho-

[1]) verum esse, B,. C, G.

nore habitus, ut eum inter atque regem duo viri sederent[1]. Tum Thorstein ad Ivarem se convertit, ensem, qui Skjaldvaræ fuerat, nudum manu tenens, admotaque ad pectus cuspide: jam utrumvis elige, inquit, aut ut mucronem nihil cunctatus adigam, aut me ex te natum profiteare. Respondet Ivar: honori mihi duco, te filium habere; est quoque tibi tam proba mater, ut persvasum habeam, nisi verum fuisset, minime hoc affirmaturam: quare non dubito, te meum esse, dicere. Tum rex illos, ut ceteros omnes, qui eum adierunt, hortatus est, ut religionem amplecterentur, qua in re se faciles præbuerunt; tum regi causam adventus, item res, in sylva Heidensi gestas, exacte exponunt. Rex deo multiplices gratias persolvit pro miraculis, in gratiam hominum peccatorum hoc in mundo editis. Deinde utrique baptizati sunt. Styrkar domum Gimsas rediit, omnesque, quos antea habuerat, honores retinuit, Thorstein vero in numerum aulicorum regis Olavi adscitus est, ipseque ac pater Ivar regem ad extremum vitæ diem comitati, et pro fortissimis viris habiti sunt.

Thorstein bovem sacrum necavit.

Cap. 13. Vir erat nomine Harekus, habitans Reinæ[2] in Thrandheimo, præfecti dignitate, amicitiis non florens; idem christianam religionem amplexus fuerat: regi tamen innotuerat, eum aliquid priscæ consuetudinis in vitæ tenore retinere, quare rex ibidem convivio se excipi fecit eo consilio, ut verum exploraret; [ibi lautum apparatum est convivium[3]. Harekus erat invidus et malevolus, atque honori Thorsteinis invidebat. Accidit die quodam,

[1]) *ut quartum a rege locum teneret, cet. omn.* [2]) Reinere, B. Reyni, C, H. omitt, G. [3]) omitt. B.

ut Harekus in colloquio Thorsteinem de suis rebus gestis interrogaret; cui Thorstein ad ea, quæ interrogaret, respondit. Harekus quærit: ecquem in Norvegia hominem nosti te robustiorem? Haud equidem certo scio, ait Thorstein. Harekus: utrum robustiorem putas, te an regem? Thorstein: omnibus, credo, rebus aliis, quam robore, regi sum inferior, neque tamen ea quidem re illum æquiparo. Jam dirimunt colloquium; postero die Harekus regi indicavit, Thorsteinem omnibus artibus se cum eo æquiparare. Rex eam rem parum curare videbatur. Post aliquanto rex locutus est, suadere se, ut qui se pares sibi contendissent, peritiam artium experirentur: an verum est, Thorstein, prædicasse te, parem mihi artibus esse, vel etiam superiorem. Haud ita locutus sum, domine, ait Thorstein; quis vero hæc tibi retulit? Harekus, ait rex. Quidni potius tibi de sacro bove, quem colit, retulit? hoc enim, puto, verius est; ego vero dixi, domine, credere me, omnibus rebus potius, quam virium magnitudine, tibi inferiorem esse, neque tamen ea quidem re te æquiparare. Rex: ecquid hoc verum est, Hareke? Harekus: exiguis, credo, argumentis nititur, domine! Rex: fac, bovem istum, quem tanti æstimas, videamus. Harekus: in vestra potestate esto, domine; itaque eamus in sylvam. Sic faciunt. Cum eo venissent, vident ingens boum armentum, quos inter taurus erat immensæ magnitudinis et ferocitatis, qualem rex nunquam se vidisse existimavit; hic bos horrendum rudebat, [et ferocissimum se ostendit[1]. Harekus infit: hic nunc bos est, domine, quem ideo tanti facio, quod me perquam carum habet. Ego vero

[1]) cum homines videret, cet. omn.

video, ait rex, atque malus mihi videtur; tu vero, Thorstein, visn' vires experiri tuas, et huncce bovem prehendere, non enim usui esse duco, diutius ut vivat. Thorstein in medium armentum procurrens, eo tendit, ubi bos erat, cujus fugientis pedem posteriorem tanta vi prehendit, ut cute et carne dilaceratis, pes[1] [cum tota nati[2] avelleretur, quem manu tenens, ad regem accessit; bos vero sacer exanimis collapsus est, tanto autem nisu solo obnixus fuerat, ut pedes anteriores genuum tenus in terram subsiderint. Tum rex: vir robustus es, Thorstein, inquit, neque te deficient vires, si tibi cum viris simplici humana natura præditis res erit; jam nomini tuo agnomen addam, teque Thorsteinem Bovipedem appellabo; ecce annulum, quem tibi in monimentum nominis dono. Thorstein annulum accepit, regique gratias egit; [erat enim magni pretii[3]. Deinde rex ad villam regressus, res omnes suo fisco addixit, Hareko propter contumaciam et cultum profanum in exilium expulso.

Thorstein gigantes occidit.

Cap. 14. Brevi post tempore fama percrebuit, sylvam Heidensem etiam tunc gigantibus infestari, adeo ut proficiscentibus ea tuto transire non liceret. Quo cognito Styrkar nuntium Thorsteini misit, ut iterum sylvam Heidensem intrarent. Thorstein magna usus celeritate, [accepta ab rege proficiscendi venia[4], Styrkarem convenit; deinde duo una profecti, ad idem deversorium montanum, atque antea, pervenerunt, ibique pernoctarunt. Die postero, cum foris essent constituti, tredecim[5] ho-

1) et femur, add. B, H. 2) ex acetabulo penitus, B, H. 3) omitt. B, C, H. 4) omitt. B, H. 5) undecim, B. duodecim, G

mines, in quibus una erat femina, in sylva conspexerunt; eo se conferunt. Heic Thorstein puellam suam agnovit, quam in majorem altitudinem excrevisse cognovit, jam enim gigas maximæ staturæ evaserat. Hæc verba in Thorsteinem jactavit: heic ades, Thorstein Bovipes, qui proxime huc ita venisti, ut haud facile adventus tui memoria mihi excidat, qui patrem meum, matrem et sororem interfecisti, Styrkar vero duo fratres meos; tu autem me ipsam persecutus es, valde quidem pertimescentem, ut consentaneum erat, quippe adolescentulam novem[1] annorum, (nunc vero duodecim annorum sum); cum digressi sumus, in ædem subterraneam me recepi, dum vero tu et pater meus conflixistis, omnes res pretiosas, quæ in æde superiore fuerunt, collectas, in subterraneam abdidi sub lecto matris; post aliquanto huic[2] viro Skelkingo[3] nupsi, ea quidem conditione, ut vos ambos, te et Styrkarem, interficeret; nunc heic adest cum undecim[4] fratribus suis, atque adeo opus est, ut viriliter te defendas, [si res succedet[5]. Deinde prælium committunt; Skjaldgerda, quo loco Thorstein erat, tanta vi impugnavit, ut ipse sibi videretur in majus discrimen vix adductus fuisse; is tamen exitus fuit eorum conflictus, ut Thorstein occasionem nactus cæsam Skjalgerdæ supra coxas inferendi, mediam gladio ab Skjaldvara accepto dissecaret; tum Styrkar Skelkingum[6] interfecerat; jam ceteros undecim[7] brevi tempore conficiunt, omnesque occidunt; quo facto ad ædem conversi, domum subterraneam

[1]) trium, B undecim, G. [2]) illustri, add. B, H. [3]) Skilmingo, B. Skeljungo, C, G [4]) novem, B, C. [5]) neque jam gratuitam victoriam reportabis, H. [6]) Skilmingum, B. Skeljungum, C. [7]) novem, B, C, H. decem, G,

effringunt, multas inde res pretiosas asportant; deinde Gimsas domum revertuntur, prædamque inter se dividunt. Posthæc Thorstein Herdisam, sororem Styrkaris, petivit, eamque uxorem duxit; ex quibus natum dicunt filium, nomine Brynjarem[1]. Quibus gestis Thorstein ad regem Olavum se contulit, et cum eo diu exinde versatus est, atque in Serpente longo occubuit.

[1]) Krummum, B, C.

Particula
de Helgio Thoreris filio.

Vir nominatus est Thorer, qui in Norvegia prædium, quod Raudabergum (rupes rauderis) dicitur, incoluit; quod prædium prope ab Vikia abest. Thoreri duo erant filii, quorum alteri nomen erat Helgius, alteri Thorstein, uterque bonæ spei juvenis, Helgius tamen plus artium peritia valuit. Horum pater ducis titulo ornatus erat, et in amicitiam regis Olavi pervenerat. Æstate quadam hi fratres iter mercaturæ causa in Finnmarkiam instituerunt, promercalia habentes butyrum et lardum. Qui cum lucrosam mercaturam fecissent, provecta æstate reversi, de die ad promontorium, Vimundum dictum, appulerunt; heic bona sylvæ copia cum esset, in terram egressi, aliquot betulas nodosas nacti sunt. Helgius, longius quam ceteri in sylvam progressus, densis tenebris subito obortis, viam ad navem eo vespere non invenit. Ruente jam nocte, duodecim feminas videt ex sylva equitantes, omnes rubris equis vectas, et rubris pænulis indutas; equis descendunt; omnis equorum apparatus auro fulgebat. Harum una ceteras omnes pulcritudine superabat, omnesque reliquæ huic augustæ feminæ officia præstiterunt. Equi pastum ivere. Post ipsæ pulcrum tentorium posuerunt, variis coloribus virgatum, auro passim intertexto, omnibus capitulis, quæ

ex tentorio eminebant, auro ornatis, ut et pertica, quæ extabat, cui ingens bulla aurea imposita erat. Quæ cum locum præparassent, mensam statuunt, et variis ferculis operant; manus lavant: aqualis et pelves ex argento factæ. Helgius prope tentorium consistens, intuebatur. Feminarum princeps loquitur: Helgi, huc ades, atque cibum potumque nobiscum sume. Ille sic faciens, potum ceteraque alimenta lectissima, vasaque pulcra esse animadvertit. Mox mensis remotis, sternuntur lecti, multo quam aliorum hominum splendidiores. Femina princeps ab Helgio quæsivit, utrum solus, an secum concumbere vellet. Helgius eam de nomine interrogavit. Ea contra: Ingibjarga vocor, filia Gudmundi ab Glæsisvallis (campis splendidis). Helgius: tecum, inquit, concubare volo. Sic cum tres continuas noctes fecerant, aëre sudo et sereno, surgunt et vestes induunt. Tum Ingibjarga: jam hic diversi discedemus; en tibi duas cistellas, alteram argento, alteram auro plenam, quas tibi muneri do; quæ unde venerint, cave ne cui dicas. Posthæc, eadem qua venerant via, equis avehuntur, ille vero ad navem regreditur. Læti socii eum salutant, quærunt, ubi moratus sit.; ille vero dicere noluit. Dein cursu austrum versus secundum littora continuato, domum patris pervenit, magna vi opum comparata. Pater ac frater quærunt, unde ei tanta pecunia venerit, quantam in cistellis habebat; ille vero aperire noluit. Interea labitur tempus ad festum jolense. Accidit quadam nocte, ut insolita oboriretur venti tempestas. Thorstein fratri loquitur: surgamus, et videamus, quo loco navis nostra sit. Sic faciunt, beneque destinatam reperiunt. Helgius summæ proræ puppique capita draconis præfigi, et su-

per aquis splendide ornari fecerat, cui rei partem pecuniæ, ab Ingibjarga donatæ, insumserat, partem collo draconis incluserat. Mox fragorem ingentem audiunt: duo viri ad eos adequitant, et Helgium secum avehunt, Thorsteine, quid de eo factum sit, insciente. Quo facto tempestas confestim cecidit. Thorstein domum veniens, patri hoc eventum retulit, quæ res impendio memorabilis visa est; hic statim regem Olavum adiit, eique, quo loco res esset, exposuit, rogans, ut investigaret, quem in locum filius deductus esset. Rex facturum se, quod petat, pollicetur, fatens, incertum animi esse, quem fructum cognati sui ex eo percepturi sint. Deinde Thorer domum rediit, sicque hic annus exit, item alter usque ad festum jolense, qua hieme rex Alrekstadis se continebat. Octava festi jolensis feria, vesperi, tres viri aulam ingressi, ad regem mensis accumbentem accedunt, et eum honorifice salutant; quos rex benigne resalutavit. In horum numero erat Helgius, reliqui duo ignoti erant. Rex eos de nomine quæsivit, uterque autem se Grimum vocari dixit: sumus vero, inquiunt, huc ad te missi ab Gudmundo ab Glæsisvallis, qui salutem tibi, et adhæc duo cornua mittit. Rex munera accepit; auro erant ornata, et permagni pretii. Regi Olavo duo fuere cornua, Hyrningi (cornuti) dicta, quæ quamvis eximia erant, tamen quæ miserat Gudmundus, præstantiora fuerunt. Hoc a te, domine, petivit rex Gudmundus, ut sibi amicus esse velis, tuam amicitiam plurimi faciens, et pluris quam omnium aliorum regum. Tum rex nihil respondens, ad sedem eos deducere jussit. Rex cornua Grimos (vocata) bono potu impleri, et benedicendi formulis ab episcopo sacrari jubet, Grimisque

afferri, ut primi exhaurirent. Tum rex hos versiculos pronuntiavit:

Hospites cornua accipiant,
dum hunc Gudmundi virum quiescere sinamus: atque ex suo bibant cognomini; sic bona dabitur Grimis cerevisia.

Grimi, acceptis cornibus, cum intelligere sibi viderentur, quale carmen episcopus potui adhibuisset: non a vero, inquiunt, multum abludit, quod Gudmundus, rex noster, fore suspicatus est; iste rex dolosus est, neque bonum remunerare novit, noster enim rex honorifice eum tractavit; surgamus omnes, et nos auferamus hinc. Sic faciunt, magno strepitu in cœnaculo excitato; potum ex cornibus in solum excutiunt, lumina exstingvunt. Tum ingentes fragores audiri; rex opem divinam implorans, homines surgere et hunc tumultum sedare jussit. Deinde Grimi cum Helgio foras se auferunt; tum accensis in regio cœnaculo luminibus, tres homines interfectos vident, cornuaque Grimos juxta funera in pavimento jacere. Hoc magnum prodigium est, ait rex, quale utinam raro accideret! atqui fama accepi, Gudmundum ab Glæsisvallis admodum esse magiæ peritum, et potissimum inimicitiis cum eo agendum; et sane misero rerum suarum statu utuntur, qui sub ejus potestate sunt, si quid in nobis præsidii est. Rex cornua Grimos servari, et ex illis bibi jussit, quod et impune fieri licuit. Nunc Grimaskardum (Grimorum angustiæ) vocantur fauces montanæ, qua Alrekstados descenditur, per quas ab oriente venerunt; quas angustias superare nemo exinde potuit. Interea labitur hiems, et octava proximi festi jolensis feria, anno vertente, redit, quo tempore, cum rex et aulici ejus in æde sa-

cra rei divinæ interessent, tres homines ad fores templi advenerunt, quorum unus remansit, reliqui duo abierunt, his prius dictis: heic ad te, rex, Gretterem adducimus, quem incertum est, quando abs te amovere queas'. Ibi homines Helgium agnoscunt, et cæcum esse animadvertunt. Rex percontatus est, quo loco res suæ essent, aut ubi tamdiu fuisset. Ille primo regi exposuit, feminas ab se in sylva repertas, deinde tempestatem adversus se et fratrem, cum navem servare voluissent, ab Grimis effectam, qui se deinceps ad Gudmundum Glæsisvallos deductum, Ingibjargæ, filiæ ejus, tradidissent. Tum rex: quomodo mansio ibi loci tibi placuit? Perbene, ait ille, neque mihi usquam locorum placuit melius. Tum rex de moribus, comitatu et negotiis Gudmundi regis quæsivit. Ille vero singula laudavit, ejusque (comitatum) multo majorem esse dixit, quam cujus numerum inire posset. Rex: cur tam subito præcedente hieme abiistis? Ille: Rex Gudmundus eos misit, ut tibi insidias struerent, sed precibus tuis adductus, missum me fecit, ut scires, quid de me factum esset. Ideo vero proxime tam subito abscessimus, quod naturæ Grimorum repugnavit, potum bibere, quem sacrandum curaveras; quare irati, cum se superatos viderent, aulicos tuos interfecerunt, quod et rex Gudmundus facere præceperat, si tibi nihil mali inferre possent; suam autem magnificentiam in eo ostendebat, quod tibi cornua misit, quo minus me quæreretis. Rex porro: qua de causa nunc iterum abiisti? Ille respondit: hoc factum auctoritate Ingibjargæ, quæ mecum, nisi magnis cum incommodis,

[1]) Hæc verba, ut puto, respiciunt ad Gretlæ C. 54, atque inscitiam auctoris prodere videntur.

non visa sibi est posse concumbere; si mihi nudo corpus admoveret, qua de causa maxime discessi: quo et accedebat hoc, quod rex Gudmundus, cum te sciret velle me abducere, tecum noluit contendere. Magnificentiam vero et liberalitatem regis Gudmundi, nec non comitatum, quem secum habet, paucis verbis explicare non possum. Rex quæsivit: cur cæcus es? Ille respondit: Ingibjarga, Gudmundi filia, digredienti utrumque oculum digitis eripuit, dicens, feminas Norvegicas brevem mei fructum percepturas. Rex loquitur: dignus esset Gudmundus, quem injuriis afficerem propter cædes, quas patravit, modo deus id permitteret. Deinde Thorer, pater Helgii, arcessitus est, qui regi gratum animum testatus est, quod filius ex gigantum manibus evasisset. Hic postea domum rediit, Helgius vero apud regem remansit, et ad idem momentum sequentis diei vixit; rex autem cornua Grimos secum habuit, quando ultimam expeditionem e regno suscepit. Dicunt, rege Olavo in Serpente e conspectu ablato, evanuisse quoque cornua, nec ulli deinceps homini visa fuisse; atque heic narratio de Grimis clauditur.

Particula
de Hromundo Claudo.

Cap. 1. Eyvindus Sörkver nominatus est vir, qui in Islandiam cum Ingimundo Prisco trajecit; is Blöndudalum, ab occidentali parte Skagafjördi situm, occupavit; idem, cum Ingimundo supervivere nollet, mortem sibi ipse conscivit. In senectute ex ancilla sua filium procreavit, nomine Hromundum, qui uxorem duxit Audbjargam, filiam Maris, filii Jörundi Colli, ipsam quoque ancilla natam. Hromundus Marstadis apud Marem sæpius versatus est, quando hic cum filiis Ingimundi de Deildarhjallio decertavit; quo prælio Hromundus Högnium, filium Ingimundi, occidit, quam ob rem extorris factus est territorio inter Jökulsaam in Skagafjördo et Hrutafjardaraam. Hromundus, vulnere in pede accepto, semper exinde claudus erat, unde ei cognomen Claudi adhæsit. Emit fundum Fagrabrekkæ, ab occidentali latere Hrutafjardaraæ, ibique aliquantisper habitavit, et villam suam munimento cinxit; idem fuit vir eximiæ pulcritudinis et strenuitatis. Filio ejus nomen fuit Thorbjörn Thyna (Tenellus), cujus mater fuit Audbjarga; is in matrimonio habuit Gudrunam, filiam Thorkelis Kerseyrensis, qui latus meridionale Hrutafjardarhalsi occupavit; horum filius erat Thorleivus, qui Hromundi alumnus dictus est. Hall-

stein nomen erat filio Hromundi. Hi cognati omnes fuerunt magna statura et viribus. Filius Thorkelis Kerseyrensis nomine fuit Thorer, frater Gudrunæ, uxoris Thorbjörnis; is Melis in proximo habitavit; filiam habuit nomine Helgam, forma conspicuam, insignemque viraginem.

Adventus Helgii Contentiosi in Islandiam.

Cap. 2. Accidit æstate quadam, ut navis ex alto ad Bordeyram in Hrutafjördo appelleret. Gubernatori nomen fuit Helgius Contentiosus, fratri vero ejus Jörundus; duodecim omnino hac nave vehebantur. Hi homines fuere procaces et maledici; quo factum est, ut incolæ parum commercii cum illis haberent, et potius extra territorium profecti, alias naves commercii gratia peterent, quod cognoverant, piratas et prædones esse, qui nihil nisi raptas opes haberent; quin, provecta jam æstate, nulli ad eos venerunt. Tum Helgius suis: vos monere volo, ne importunos vos præbeatis, sed faciliori ingenio erga hujus territorii incolas utamini, et hospitia vobis apud colonos conducatis: hic enim populus difficilioris ingenii esse, neque injurias æquo animo pati videntur, et quidem accepi, hujus terræ incolas robustos et acres esse injuriarum propulsatores[1]. Dimidio mense elapso, tres tantum nautæ hiemale hospitium nacti erant. Tum Helgius: ægre qui-

[1]) Sic h. l. intelligo vocem *afæta*, quæ proprie de fonticulis dicitur, virtute aquæ gelu non coeuntibus, et glacialem incrustationem respuentibus. Alia ratione hæc vox contendi potest cum locutione, *at bíta af sèr (frá sèr)*, quod vulgo de propulsanda injuria dicitur, tropo a feris translato. Verbum, *eta af*, sic tropice adhiberi, docet vita Hænsa-Thoreris, Cap. 12, fin.: *þèr hafit lengi úlfs munni afetizt*, quamvis alio sensu.

dem homines, qui hic sunt, induci possunt, ut nos recipiant, qua in re minime vituperandi sunt; nos vero ingeniis eorum porro obsequamur. Sic fecerunt; sed recipiendi detrectatio in consuetudinem verterat. Aliquando Thorer ab Melis navem advectus, Helgium convenit; hic eum perquam hilariter accepit, et quæsivit, quid emere vellet. Thorer necesse sibi esse dixit, ut materiam coëmeret, prolapsionem ædificiorum causans. Helgius ei se potestatem facturum ostendit, materiæ quantum opus haberet coëmendi: tu vero nos omnes ad hiemandum recipe. Ille se ad hanc rem parum idoneum significans: mihi vero, inquit, merces non desunt, quas pro materia solvam: neque vos ingenio populari habemini; illos recipere hospitio causatus est. Cui Helgius: magnam profecto nobis importunitatem exhibent hujus tractus incolæ; tamen enimvero veri simillimum est, te, colone, nisi nos receperis, ab omni in nos injuria minime temperaturum. Thorer causam interseruit, quod apud paucos essent gratiosi. Helgius ejus arbitrio conditiones hospitii permisit, modo eos recipere vellet, alioquin incertum esse dicens, an ei salvo domum redire liceret. Cum autem res eo devenisset, paterfamilias infit: quandoquidem hoc a me tantopere flagitas, jurejurando ex legibus nostris confirmato, vestrum omnium nomine, vos instante hieme neminem ulla injuria affecturos, nullamque rem, cujus compellari lege possitis, facturos, neque mihi, neque aliis, neque domesticis, neque vicinis meis; ego vobis habitationem providebo, vos alimenta ipsi vobis prospicitote. Helgius: tui arbitrii res esto, colone! Deinde eo profecti sunt, et soli sibi in æde cibum sumserunt et dormive-

runt. Hoc factum Thoreris haudquaquam amice ab tribulibus acceptum, quod nimium sibi hac in re arrogasse videbatur. Heic cum aliquamdiu commorati essent, gubernator et filia familias persæpe convenerunt, unde opportunitas data est, cum amore et blanditiis colloquendi[1], osculandi et colluctandi[2], tandem expletione libidinis consecuta. Thorer infit: optarim, Helgi, quam mihi dedisti fidem, hanc ut præstes, neque ulla me afficias contumelia aut ignominia; desiste cum Helga, filia mea, colloqui, et præstitum mihi jusjurandum serva. Helgius significavit, putare se, suum atque Helgæ amorem haud facile posse repelli: neque tibi, paterfamilias, ulli dedecori res erit, si virginem petivero secundum leges civiles, in patria tua constitutas, quanta tibi placuerit pecunia dotatam. Paterfamilias autem desperans, rem melius ituram, hominesque impudentes esse intelligens, Helgam filiam Helgio Contentioso in matrimonium collocandam statuit, nuptiasque nova hieme celebravit. Ex hoc tempore non insignem quidem in alios asperitatem exhibuerunt, si nihil in eos delinqueretur.

Hromundus diem Austmannis dixit.

Cap. 3. Hac hieme accidit, ut Hromundus quinque equos, omnes præpingues, equitio suo abesse animadverteret; de quibus quid factum esset, variæ fuerunt opiniones. Filii Hromundi dixerunt, putare se, ab hominibus esos, tum quod de iis fama nusquam emanasset, tum

---

1) *á umtal*] scribendum est, *á um tal*, quod constructio cum verbo *reita* postulat. 2) Lectionem membranæ sic intelligo; possis tamen *kneiking* de sollicitatione, allectione, accipere; nam in *Stjórn*, *kneiking syndarinnar*, est illecebra peccati.

quod quieti esse consuessent. Hromundus respondit: accepi, his Austmannis (Norvegis) grandiores carnes apponi, quam ut ex emtionibus eorum exspectandum sit, et vero de ipsis quidem mala fama quocunque nomine circumfertur; nunc alterutrum ex duobus eligendum, aut hanc rem sermoni non dare, quo facto nihil mali existet, aut incertum eventum periclitari atque repetere res. Illi hoc præstare ajebant, idque solum restare, ut amissa quærerent. Tum Hromundus Skeggium Midfjördensem, qui tum Skeggjastadis in Midfjördo habitavit, virum in his locis summæ auctoritatis, adiit consultum, qua ratione res peragenda esset. Skeggius respondit: fama accepi, hos Austmannos difficiles esse tractatu; quare vobis meam operam et auspicium polliceor, quicunque tandem casus inciderit. Deinde Hromundus domum rediit; et posthæc non ita multo ipse cum filiis, decem una, Melos profecti sunt. Austmannorum alii foris erant, alii eodem tempore, quo illi adequitabant, ædibus exibant. Salutandi officiis leviter utrinque absolutis, Hromundus infit: ita res est, Helgi, quod equos aliquot desidero, quos huc devenisse suspicor. Ille contra: haud talia nobis dicta homines antea locuti sunt, quæ tantis inimicitiis rependemus, quantas poterimus maximas in vos exercere. Cui Hromundus: ista piratarum consuetudo est, opes rapinis aut vexationibus parare, sed parta celare, furum est. Hromundus ex Thorere verum exquisivit, quidve hac de re sciret. Qui cum eos neque sontes, neque insontes declarare vellet, Hromundus eum parum virtutis ostendere demonstravit. Deinde Hromundus suos jussit, diem illis dicere, designatis ex suis, qui singulis di-

cerent. Interea vero, dum citationes peragebantur, Austmanni furiosorum more effutiebant et cursitabant, ultionem comminantes. Nulla vulnera hoc congressu invicem intentata; quo facto digrediuntur.

De abitu Austmannorum.

Cap. 4. Hromundus ac sui domum equitarunt; cum vero brevi domi fuerant, Hromundus suis: tres viros familiæ addamus, et munimentum nostrum, vetustate valde collapsum, reficiamus, persuasum habentes, præstituros, cum mala sint polliciti, neque hostilitatem, quam sunt minati, omissuros. Deinde omnia litis instrumenta in Midfjördum ad Skeggium Midfjördensem delegant, quibus ad comitia universalia relatis, Austmanni furti equorum damnantur. Hromundus ac filii tempore comitiorum domi se continebant; Austmanni vero profectionem Melis parabant, et Thoreri bene loquebantur. Navem oceano apparaturi cum Fagrabrekkam, qua ferebat via, præterirent, Hromundo ac filiis, foris constitutis, Helgius loquitur: utinam accidat, ut longe vobis absit munimentum istoc, minimoque præsidio sit, cum maxime fuerit opus; atque sane te, Hromunde, filiosque tuos cruentos viderim. Hromundus contra: minime quidem de vestro malevolo animo dubitamus, sed arbitramur, fore, ut nonnulli cruentum emungant, antequam humi occubuerimus. Sic hac vice digressi sunt.

Pugna inter Hromundum et Austmannos.

Cap. 5. Mane quodam accidit, ut corvus in fenestra considens acutum crocitaret. Hromundus, in lecto vigilans, hos versus pronuntiavit:

Foris exaudio, lucescente mane,
lividum olorem, avidum sudoris
spinæ vulnificæ, clangere; præda
excitat alitem indolis abditæ.
Sic cecinit olim accipiter bellonæ,
cum præmatura militum ductoribus
mors imminebat, cuculis edicentibus
de astutiis Gauti vaticinium[1].

Et hos porro pronuntiavit:

Larus, amans innatare fluctibus
cadaverum, conspersus grandine,
clangit, ad æquor veniens cadaveris,
matutinamque fessus deposcit dapem.
Sic olim cuculus cadaverum
annosa de arbore cecinit,
quando jurati accipitres
principum sanguinem appetebant[2].

---

1) Ordo: *ek heyri út a), er mornar, blúfjallaðan svan sáraþorns sveita gjalla: bráð vekr borginmóða b) α). Suá gól gunnar c) haukr d) fyrr, þá er fólknárúngar β) váru feigir e), er gaukar f) sögðu spá Gauts bragða*, vide Sk. 2, 204, & Landn. p. 172, 406.

a) *úti*, eod. sens., Sk, Landn. b) *borginmóður*, Sk. ɔ: corvus excitat prædam (clangore). c) sic Sk, Landn.; *gumnar*, viris (edicentibus), F. d) sic Landn.; *gaukr*, cuculus, F, Sk, contra metrum. e) *frægir*, Sk. f) sic Landn. *gautar*, F, Sk, ɔ: *gaukr gautar* (pro *gauts*), corvus; sed obstat justa ratio, tam litterarum, quam syllabarum metricarum.

α) *borginmóði*, corvus, a superba indole; quod ad compositionem attinet, confer *borginorðr* in partic. de Hreidare Stulto: *ek er maðr ei borginorðr, ok berr mèr jafnan mart á góma.* β) *fólknárúngr*, altor populi, *Ποιμην λαων*, oppos. *fólkmýgir*, *δημοβορος*.

2) Ordo: *Márr valkastar báru, stokkinn hagli a), hlakkar, er kemr at a) hræs sæfi: krefr móðr morgin-bráðar b). Suá gól hræfa c) gaukr endr af fornum meiði, þá er eiðs haukar β) vildu unda mjöð hildínga.* Vide Sk. 2, 204, Landn. p. 173, 407.

Et post aliquanto domestici patrisfamilias surrexerunt, et fores munimenti post se obserare neglexerunt. Hoc ipso mane, post paulo quam domestici ab munimento abscesserant, Austmanni duodecim una adfuerunt. His Helgius: bene accidit; nunc introeamus in munimentum, et dicta factaque contumeliosa reminiscamur, et sane optaverim, si quid in me fuerit, nulli ut usui munimentum illis sit. Thorbjörn Thyna, ad voces colloquentium somno excitatus, confestim exsilit stratis, ad fores diætæ se proripit, et ex fenestra, prisco more fori incisa, prospectans, cum Austmannos in munimentum ingressos comperisset, intro se refert. Tum Hromundus: quid novarum rerum, fili? Cui Thorbjörn: suspicor, Austmannos in munimentum infestis animis ingressos, velleque dicta ulcisci, quæ in eos locuti sumus; illud autem nescio, quo pacto in munimentum introiverint. Hromundus exsiliens: surgamus, inquit, et istos homunciones ab nobis repellamus, et operam strenue navando famam insignem nobis conciliemus; tum filios suos hortatus est, nec non Thorleivum alumnum, tum quindecim annorum, magnæ staturæ adolescentem, strenuique viri speciem præ se ferentem; is quoque sese ad egressum parabat, feminæ vero hunc nimis adolescentem, adeoque in fata sua ruere, Hromundum autem nimis senem ad defensionem præstandam dictitabant. Tum Hromundus hos versus cecinit:

---

a) sic Landn., *af*, ab, Sk, F, minus apte. b) *bráða*, in plur. Sk. c) *hræfu*, Sk.

α) ɔ: guttis matutinæ pluviæ. β) ɔ: accipitres intimo conjuncti consortio, quod inprimis in præda participanda apud feras videre est. Potest tamen, *eiðshaukar*, de juvenibus conjuratis accipi; ceterum adi Landnamam, quæ fusius de his agit.

Gestor plani circulorum orbis,
bellonæ strepitui nos paremus!
Haud mihi hodie, neque heri,
mors prædestinata fuit:
Immo prius multo præfinitum nobis
ætatis spatium fuit; minime curo,
si virga, tingens Hedinis amiculum,
rubros circumvolitet clypeos[1].

Deinde cognati omnes, numero quatuor, Hromundus Claudus, Thorleivus, Thorbjörn Thyna et Hallstein, arma capiunt, foribusque exeunt, quæ in extremitate ædis erant, supra tigna transversaria transgressi, occlusis, quæ in pariete laterali erant, foribus. Austmanni, saltu in parietem dato, perquam strenue in eos tela conjiciebant; fuit enim Helgius pugnandi dexteritate excellens, magna statura et viribus, specieque vigoris plena; ipse jam vehementi ira erat incitatus, ceterique omnes tractatu difficiles atque feroces, dictitantes, facturos se, ut Hromundus ac cognati meminerint sui, furumque cognomentum in memoria habituros. Hromundus contra magno ipsis constiturum affirmavit, si munimentum expugnare conarentur. Illi se non minus loricis ac trabibus, quam armis, defendere; Austmanni saxa telaque ingerere et fortissime impugnare, adversariis, quamvis non amplius quatuor, se pulcre tu-

[1]) Ordo: *Draugr bauga flatvallar, búumst við ilmar a) jálmi! Varat mèr áðr ofráðinn dauði í dag nè b) görr c) α): ose var áðr ofmarkaðr aldr. Ek ræki lítt, þó litvöndr d) Hèðins d) fitjar d) leiki við rauða skjöldu.* Vide Sk. 2, 205. Landn. 173–4. 408.

a) *Imar*, Sk. b) *enn*, Sk. c) *geir*, Landn., Sk. d) Sic Landn., *litvandr hèðinn vitjar*, F, Sk.

α) Sic *Hamdismál*, 2: *vara þat nú, nè í gær, þat hefir lángt liðit síðan.*

tantibus, quin et grandia saxa dejicientibus. Hromundus, etsi ætate provectus, tamen fortiter rem gerebat, et graves ictus inferebat, filiorumque et Thorleivi auxilio sex Austmannos prosternebat, quo impetu ipse quoque Hromundus et Thorleivus, alumnus ejus, ceciderunt. Austmanni, quotquot pugnæ superstites erant, e munimento gradum referebant; quos Thorbjörn Thyna cursu insecutus, omnes, quibus in prælio pepercerat fortuna, e munimento ejecit. Conantem vero forem occludere, Helgius missa hasta medium trajecit, quam ipse vulnere extractam in Austmannos remisit, et Jörundum, fratrem Helgii, medium feriit; hunc humi collapsum Helgius sustulit et in tergum rejecit, ipseque cum quatuor, qui superstites erant, sociis ex munimento aufugit. Hallstein fugientes persecutus est, donec ad rivum extra Fagrabrekkam profluentem pervenerunt; hunc saltu transmittere cum Helgius aggrederetur, Jörundum fratrem tergo gestans, quod hinc inde altiores erant ripæ crepidines, vires eum defecerunt, quare Jörundus, qui tum mortuus erat, ex humeris ejus defluxit. Helgio vehementius converso superveniens Hallstein manum præcidit. Tum Austmanni fugere perseverarunt, Hallstein vero Jörundo immoratus est, quem mortuum esse deprehendit; quo factum est, ut ceteri fuga evaderent; quod videns Hallstein, domum revertitur, et patrem et Thorbjörnem Thynam decessisse comperit. Thorleivum, nondum exanimem, intro portavit. Feminis, quo pacto res gesta sit, quærentibus, verum retulit. Helgius cum suis eodem die solverunt, et e regione Skridinsenni universi perierunt. Thorleivus, sanitati restitutus,

Fagrabrekkæ habitavit, et rusticus solers habitus est. Hallstein, patria relicta, Olavum Tryggvii filium adiit; rex eum ad religionem amplectendam facili negotio perduxit, quo facto in aulicorum numerum adscriptus, apud regem postea versatus est, vir strenuissimus, spectatæ in præliis virtutis, et ab rege Olavo magni æstimatus. Hic in Serpente Longo cecidisse dicitur, insigni edito fortitudinis specimine, præclara rerum gestarum memoria comparata. Atque ita hæc de eo narratio concluditur.

Particula
de Haldore Snorrii filio[1].

Cap. 1. Haldor, filius Snorrii pontificis, Islandus, apud regem Haraldum Sigurdi filium versatus est, quamdiu peregre fuit, et longo tempore postquam regnum Norvegiæ acceperat, magnique ab eo æstimatus est. Accidit aliquando, ut vir Islandus, nomine Eilivus, in odium regis Haraldi perveniret[2]; ille vero Haldorem rogavit, ut causam suam apud regem ageret; quod et fecit. Haldor in dictis erat asper et concinnus[3], sed valde pauciloquus; is a rege petiit, ut Eilivo veniam in civitate manendi concederet; quod rex præcise negavit. Haldor, ut ferè Islandi, animo fuit in indignationem prono, et ægri ferebat, si, quod petivisset, non impetrabat; quare ab Haraldo[4] unàcum Eilivo abscessit; venerunt Gimsas ad Einarem Thambarskelverem, [quem Haldor rogavit, ut eos reciperet, eique auxilium præstaret. Einar recepturum se dixit, cum eo[5] ut Haldor quoque una secum

---

1) Particula ultima historiæ Olavi Tr. filii, Norvegiæ regis, S. 2) ea de causa, quod aulicum interfecerat, cur autem interfecerit, non memoriæ proditum est, add. B, quæ verba in fine sequ. cap. leguntur. 3) durus, S. 4) ab aula, B, S. 5) a signo [Einar eum prolixe excepit, nam aliquantum inter se noti erant; petivit ab Einare, ut Eilivum in hospitium et tutelam reciperet, ille vero se facturum negavit, ob odium, quod rex adversus eum gereret, nisi ea sola conditione, B.

esse vellet. Haldor: ubi mihi sedem designas? Einar eum jussit exadversum se in sede primaria sedere. Einar uxorem habuit, nomine Bergljotam, filiam dynastæ Hakonis Mali, filii Sigurdi, Hladarum dynastæ[1]. Haldor persæpe Bergljotam adiit, eique complura mira eventa retulit, quæ in peregrinationibus suis et regis Haraldi acciderant. Vir erat nomine Kalius, juvenili ætate, Einarem cognatione attingens, malevolus, et nonnihil invidus, dicax et clamosus; idem Einari a calceis erat, eique diu apparuerat. Kalius in auro argentoque elaborando magnæ erat dexteritatis, quare Kalius Deaurator cognominatus est; [multos homines apud Einarem calumniabatur, et magniloquentiam, tam soluta, quam ligata oratione, affectabat; hic inprimis in Haldore dicacitatem exercebat[2], et [ab aliis probrosa de eo carmina elicere conabatur[3], ad quod cum nemo induci posset, ipse carminibus de eo detrahere studuit. Quo Haldor cognito, die quodam ad diætam Bergljotæ accedens, cum ad fores pervenit, audit intus claras loquentium voces. Kalius [multique alii[4] intus erant; hi coram matrefamilias recitant cavillam, quam de Haldore Kalius composuerat[5]. Bergljota eos tacere jussit, dicens: indignum est, homines ignotos maledictis et dicacitate lacessere, atque auguror, gigantes vobis[6] linguam e capite extracturos[7]; scilicet Haldorem præ aliis plerisque hominibus in Norvegia expertæ virtutis esse.

[1]) *hún var hin rækasta*, ea fuit femina diligentissima, add. B, ubi legendum puto, *ríkasta*, potentissima. [2]) a signo: Kalius male erga homines affectus erat, B. [3]) alios ad idem impellebat, B. [4]) et sodales ejus, B. [5]) congesserat, eamque turpem, B. [6]) tibi, S. [7]) i. e. vos pœnas maledicentiæ daturos.

Kalius reposuit: haud timeo hunc adiposæ terræ civem[1], etsi apud te magno in honore sit, accepimus enim, specu subterraneo in Græcia inclusum, ibique in cauda serpentis inertem et viribus desertum jacuisse[2]. Hæc maledicta non ferens Haldor, incurrit in diætam et Kalium adortus letali vulnere feriit. Quo viso, Bergljota exitus servari jussit, ne cui, priusquam ipsi placuisset, exire liceret. Tum Haldor: oro te, materfamilias, ut bonum aliquod consilium quantumvis immerito mihi prospicias. Ea respondit[3]: multi mihi sunt cognati aut propinqui, præfectorum dignitate ornati[4], quorum cuicunque te commendem, certo scio, hunc te mea causa recepturum. Haldor reposuit[5]: scias velim, nolle me apud quempiam clam asservari, ut maleficum. Bergljota: atqui pauci, credo, homines in Norvegia sunt, præter ipsum regem Haraldum, quibus opes sufficiant ad tuendum te ab Einare, si te quærere velit, resciscet enim, quo loco delitescas; est quoque alia ratio, inquit, etsi periculo non careat. Haldor loquitur: quid hoc consilii est? Ea respondet: ut jam nunc[6] cœnationem intres, eo quod nunc duplici crimine teneris, uno,

---

1) *Mörlanda*], *Márlanda*, S, mendose, constanter enim scribitur *mörlandi; Nordlendan*, virum Nordlandum, B, prave, nam ex occidentali parte Islandiæ oriundus erat Haldor. 2) Hac de re adi Cod. Hryggjarstykkum, secundum quem Ulfo Ospaki filio partes ab rege Haraldo designatæ, in cauda, Haldori in tergo serpentis incumbendi, ut sic vim feræ refringerent. 3) neque sanè tu Einari, marito meo, istoc nunc demeruisse videberis; verum tamen id nunc pensi non habeho, sed lubens in rem tuam quam potero optime consulam, add. B. 4) et coloni, quos meo nomine adeas, et apud quos delitescas, add. B. 5) bene facis, materfamilias, sed, add. B. 6) mihi quam citissime, add. B.

cædis, altero, mensæ, quippe qui mensis cum ceteris non adfueris: nunc enim mensis accumbitur. Jam potes Einarem accedere, ei rem confiteri, caputquè tuum offerre[1], et sic ejus gratiam reconciliare. Qui si tibi sic veniam concedere noluerit, haud facile fuerit[2], te ab eo tutum præstare. Deinde Haldor intro se ad Einarem contulit, his verbis usus: non ego sæpe in crimen neglectæ mensæ incurri, nunc quoque ita evenit, ut deses[3] non fuerim. Cui Einar: tune cædem narras Kalii, cognati mei? Haldor: hujus culpæ verè reus sum, quare caput meum tibi offero, quicquid libuerit de eo ut facias. Einar: ista quam patravisti cædes, [pessima est, meque proxime tangit[4]; nam præter Eindridium, filium meum, nemo est, cujus nece magis dolerem. Haldor respondet: eorum homicidiorum dispar foret ratio. Einar perrexit: fratres Kalii huc ad me de satisfactione respicient, tam quod attinet ad actionem homicidii, quam ad multam; neque me dignum existimo, cædem Kalii perinde facere, ac si canis meus cæsus fuisset. Quod si hujus cædis vindicta pro meritis expetetur, alii eo magis ab talibus sceleribus patrandis deterrebuntur. Decet tamen, salutari uti consilio alumni[5] mei, regis Magni Olavi filii, atque iram ad tempus remittere; ea enim decedente, sæpe alia videntur æquiora, quam quæ ante facta sunt. Jam tu, Haldor, primo mihi ensem tuum trade, hunc enim postulo. Haldor re-

1) sic S; offer, B, cui si — obtuleris, F. 2) illum tecum reconciliare, aut, add. B. 3) omnino, add. B, S. 4) animum meum plus, quam forte cogitas, tangit: Kalius propinquus mihi cognatus fuit, apud me in maturum virum excrevit, mihique a teneris inde apparuit, quare magno eum amore amplexus sum, B; absunt in S. 5) cognati, S.

posuit: quid opus est, ut arma mea e manibus dimittam? Ideo ensem tuum postulo, ait Einar, quod prævideo, si qua in re durius tecum agetur, te manus tuas, quoad poteris, defensurum, si telo ad impugnandum uteris, tumque haud incredibile est, plures eadem, qua Kalius, fortuna usuros, quo facto non melius acquiescam; consequens quidem erit, si armis impugnatus eris, ut unius hominis, si minus plurium, cæde necem tuam ulciscare, te tamen ad extremum devincam. Nunc primum mensam mecum accede; post mulctas tuas pronuntiabo, nullam vero pacem tibi in præsens promitto. Haldor sic fecit, ut cum Einare biberet et comederet, quasi res suæ in tuto versarentur, gladiumque tradidit, quem Einar accepit. Haldor, amicis hortantibus, ut effugeret, si posset: non clam, inquit, ab Einare fugiam, in cujus potestatem ultro venerim. Idem, sumto cibo, Einarem adiens, quæsivit, quid de rebus suis decrevisset? Einar respondit: hæc posterius scies. Tum abiens Haldor, Bergljotæ, quo loco res esset, exposuit. Cui ea: haud credo futurum, ut Einar te interfici jubeat; si vero te insidiose e medio tollere conabitur, polliceor tibi facturam, ut res majores sint obventuræ. Et hoc ipso die Einar, frequenti conventu coacto, surgens ita locutus est: jam vos oblectabo, et narrabo, quæ jam pridem gesta sunt, quando in Serpente longo fui cum rege Olavo Tryggvii filio.

[*Narratio Einaris*].

Cap. 2. Res ab hoc initio profecta est: locus mihi in Serpente designatus est apud Kolbeinem, comitem dispositionum, et Flesmæ Björnem, tum octodecim annos nato et extra ordinem in

numerum pugnatorum recepto[1]. Novem homines e Serpente elapsi sunt; sed de nobis[2] commilitonibus nonnulla referam: postquam rex cum lumine illum superfulgente e conspectu ablatus est, nos e Serpente desilivimus, et ab Danis, regis Sveinis militibus, capti, regique traditi sumus. A quo in Jotiam transvecti, ibi in terram deducti, caducæ arboris trunco impositi, vinculisque constricti sumus. Qui nos custodivit, in servitutem nos vendere constituit, ultima quæque et mutilationem minatus, si servitutem pati nollemus; sic in hac sylva tres noctes consedimus. Hic vir, qui nos custodiebat, conventum indixit, quo magnus hominum numerus confluxit[3]. In hoc conventu sedebat[4] vir quidam, magnæ staturæ, habitu monachi, sago cæruleo, facie personata; hic vir me et commilitones accedens, dominum[5] nostrum alloquitur: visne mihi hunc magno natu servum vendere? Ille contra: quid tibi servus decrepitus et piger? Vir personatus: adeo ex servis minimo constabit? Certe quidem minimo, ait dominus noster. Itaque tu æstima eum, ait vir personatus. Dominus eum duodecim argenti unciis æstimavit. [Tum vir personatus: carus mihi videtur servus, quippe quem videam magno natu et exigui ope-

---

[1]) Hæc B et S cum præced. cap. sic jungunt: tum non amplius 16 (18, S) annos natus, et extra ordinem in numerum classiariorum Serpentis receptus; nemo enim horum junior esset 20 annis, neque 60 senior. Kolbeini Upplando locus designatus est juxta me et virum, nomine Björnem, qui dictus est Flesmæ-Björn, virum ætate provectum, fortem tamen, quo pauci juvenes fortiores. [2]) tribus, add. S. [3]) ibi enim mercatus erat emendis, quæ prostituebantur; in hunc conventum deducti & in locum aliquem repositi sumus, add. B. [4]) conspectus est, S. [5]) custodem, B. ubique.

ris, neque vero absimile, brevi victurum; quare pro eo selibram argenti pendam, si ea conditione uti vis[1]. Tum vir personatus ad me accedens, ait Einar, quæsivit, quis me servandum haberet[2]. Hunc nondum vendidi, ait dominus, venalis tamen est. Vir personatus: quanti constat? Dominus: perquam[3] carus tibi videbitur; eme eum, si placet, tribus argenti selibris. Vir personatus: perquam carum sic eum judico, perspicere tamen mihi videor, cognatos ejus et amicos tanta pecunia eum libenter redemturos, si in patria sua esset. Dominus: scivi, te eum non tanti emturum[4], quanti æstimavi. Deinde vir sagatus abiit, et passim per forum permeavit, varias res pretiosas venum petens, cum autem nihil[5] emere liceret, ad nos rediit, dicens: jam in foro eram, et quia nullius emendi potestas fuit, eo huc redii; venalem itaque peto[6] servum, de quo ante mentionem intuli[7]: perspicio enim, qua statura viribusque est, haud exiguam ejus in opere faciundo operam esse, siquidem hic (sacculus) suffecerit; homines vero, si se viros præstare cupiunt, magnam solent strenuitatem exserere: quare optimum factu mihi videtur, hos omnes emere[8]. Dominus noster respondet: multis sane mancipiis tibi opus est, si solus tres servos emis. Vir sagatus: atqui tu id scito, me non pauciores habuisse domesticos.

---

[1]) B tantum habet: non vero absimile est, eum brevi victurum. [2]) emisset, B, S. [3]) nimium, S. [4]) te formidaturum, tanti eum emere, B, S. [5]) nullas, B, S. [6]) emere volo, B. [7]) venalem expetivi, B. [8]) qua structura et membrorum compage sunt, opus diurnum, a me constitutum, absoluturos, si prospera uti fortuna velint; quare, si eos venundare vis, emere omnes cupio, B.

Kolbein[1] æstimatus est duabus selibris. Heic vir sagatus: cari sunt servi; neque plane scio, de pecuniis meis qui comparatum sit, an ad eos redimendos sufficiant. Hoc dicto argentum laciniæ ejus[2] infundit, dicens: jam hoc habe pro monitis tuis, neque hanc pecuniam minorem puto[3]. Deinde vir sagatus nos vinculis exsolvit, de meliore conditione gavisos. Tum vir personatus in sylvam abiit, nobis se sequi jussis; cum vero in locum aliquem, sylva purum, venimus, ego eum de nomine interrogavi. Ille respondit: tua nil refert, nomen meum scire; id vero scias velim, te vosque omnes aliquando prius ab me visos. Atqui scire vellem, cujus servus sim futurus; si vero nos libertate donare cogitas, scire quoque vellemus, cui hoc beneficium debeamus. Non tu hoc hac die scies, qui vocer. Tum ego, ait Einar: atqui tempus fuisse credo, cum ego, duoque alii, in unum hominem pro lubitu agere potuerim, quamvis Dani non credant. Vir sagatus respondet, pileum paululum tollens: fieri quidem potest, ut vos servitute non premam, sed nulla in re metu coactus vobis obsequar, etsi tres sitis, ego vero unus. Nunc [heic via est, quam vobis monstrabo, ad navem ferens[4], quæ Nordmannis est, qui vos recipient et in Norvegiam devehent; tu vero, Björn, inquit, facultates tuas partire, easque ita dona, uti fore putas animo tuo maxime salutare; non enim vives dimidio mense diutius, postquam ad res tuas redieris. Tu vero, Kolbein[5], in Upplanda redibis, et vir insignis æsti-

[1]) Sic B. Kolbjörn, F, S. [2]) ex magna crumena in genua custodis, B. [3]) quam promisi. Affirmavit dominus, add. B. [4]) una semita est, ad mare ferens, quam vobis monstrabo; tum navem videbitis, B. [5]) Kolbjörn, S.

maberis, ubicunque eris; tu autem, Einar, inquit, ex vobis maxima dignitate[1] maximoque natu eris, et plerosque [in Norvegia[2] viros multis in rebus antecelles: tu quoque uxorem duces Bergljotam, Hakonis dynastæ filiam, Gimsis habitabis, et honorem ad summum usque vitæ diem retinebis; abs te autem solo donatæ salutis et libertatis præmium postulabo, quippe quem solum immunitatem servitutis maximi facere existimem. Ego vero difficiliorem esse remunerationem asserui, nescienti, quem aut quo remunerarem. Ille respondit: sic remunerato, si quis homo, qui in tua potestate sit, tam graviter in te commiserit, ut ante omnia[3] eum morte multatum cupias, tum ei non minorem libertatem donato, quam nunc tibi dono; hoc vero tibi facile factu erit, pauci enim ob potentiam tuam et amicitias contra voluntatem tuam facient. Et hoc dicto, vir sagatus personam ab facie removens: quosnam hos esse putatis, qui heic per sylvam equitant, nos comprehensuri[4]? Adspeximus omnes, homines visuri, cum vero respeximus, vir personatus e conspectu ablatus erat, nunquam nobis postea visus; hunc vero hominem probe cognovimus omnes, regem esse Olavum Tryggvii filium; nam prima statim vice, quando cucullum sagi sustulit, certo eum cognovi, cum vero, persona remota, faciem suam nobis ostendit, omnes eum cognovimus, et inter nos col-

[1]) maximi nominis, B. [2]) alios pari natalium conditione, B. [3]) *fyrir hvertvetna*] *fyrir eins*, B, hoc sensu: si quis homo ita in te deliquerit, ut eum tam morte multatum cupias, quam in tua potestate sit; quæ notabilis locutio etiam occurrit in Hist. Jomensium, ed. Havn. 1824, pag. 27. [4]) an putatis eos nos comprehensuros? B.

locuti sumus, nos imprudentes fuisse, qui ei manus non injecissemus; tum vero nihil profuit, ob rem factam invicem incusare. Deinde semita, quam nobis monstravit, ad mare contendimus, ibique navem Nordmannorum deprehendimus. Omnia autem sic evenerunt, ut de fatis nostris nobis prædixerat. Nunc debeo, ait Einar, sic facere, quemadmodum rex Olavus me rogavit; neque mihi nunc aliud, Haldor, vero propius videtur, quam eum pro te deprecatum esse, tu enim nunc in mea potestate es. Prius autem quam Einar finem dicendi fecerat, Bergljota uxor ejus in conventu adfuit, numeroso stipata comitatu, eo consilio, ut hæc manus cum eo decertaret et Haldorem reciperet[1], si pacem ei concedere nollet. Deinde Einar [cognatis Kalii pro cæde ejus[2] pecunia satisfecit, et exinde constantem cum Haldore amicitiam coluit. Haldor vero Eilivum, cum rege reconciliatum, in Islandiam misit; ipse quoque cum rege in gratiam rediit, et apud eum diu deinde versatus est[3]. [Crimen vero Eilivi fuit, quod aulicum regis Haraldi interfecerat, quapropter hic eum odio habuerat[4].

De Sigurdo episcopo.

Cap. 3. Reverendus et bonæ memoriæ doctor religionis, monachus Gunnlaugus de Thingeyris[5], res multas et memorabiles de illustri domino, rege Olavo Tryggvii filio, [grandi sermone latino[6] composuit et explicavit; idem multa scitu digna attulit, quo pacto rex vivus evaserit e prælio, [quod ultimum ad Svöldram com-

1) defenderet, B, S. 2) pro cæde Kalii, cognati sui, B. 3) liberaliter habitus, add. B. 4) omitt. B, cfr. præced. cap. init. var. l. 2. 5) de Gunnlaugo vide Hist. Sturl. Libr. 3, 36. 4, 7. ad ann. 1200 & 1211. 6) omitt. B.

misit[1]. Frater Gunnlaugus id solum se scripsisse asserit, quod ab veracibus hominibus audiverit, idque præcipue collegisse, quod in libris presbyteri Arii Polyhistoris repererit; exposito autem prœlio, ad Svöldram gesto, laudatus frater Gunnlaugus monachus orationem ad aulicum episcopum regis Olavi convertit, qui Jon[2] Sigurdus nominatus est, de quo pace dei nonnulla dicentur. [Haud alienum est, (verba sunt fratris Gunnlaugi), huic historiæ adjungere narrationem de sancta vita et gravi morum severitate apostolici domini, supra memorati aulici episcopi, ut compertum habeamus, qualem vitæ exitum habuerit; [hic enim primarius fuit domini regis adjutor in salute nostra promovenda, unde factus nobis videtur apostolicus prædicator omnium Nordmannorum; nam hic eximius dominus, rex Olavus, primus episcopali auxilio omnes verè christianos reddidit, deinde vero regia potestate christianismum confirmavit et rexit, tam sanctis et salutaribus verbis, quam adhortationibus. De origine et gente et natione Sigurdi episcopi nihil nobis constat, neque in qua schola didicerit, nec quo tempore ad regem venerit; hoc autem ex veracium hominum dictis intelligimus, eum constantem et in episcopali munere administrando diligentem fuisse[3]. Sigurdus episcopus, postquam ab rege Olavo Tryggvii filio digressus erat, in Sveciam profectus est, precibus adductus regis Olavi Eiriki filii, qui ibi tum rex fuit, eo pacto et conditione, ut dominus episcopus liberam potestatem haberet totam Sveciam obeundi, et mandatum divinum annuntiandi, ut miseram gentem, qui ibidem longo tempore ignominio-

[1]) in Serpente gesto, B. [2]) omitt. B. [3]) quæ a priore signo sunt, omitt. B., quæ a posteriori, omitt. S.

sis et ratione carentibus idolis serviverat, [ad veram religionem converteret[1]. Hac quidem conditione Sigurdus episcopus perquam lætatus est, acriter enim eum tetigit immensus ille dolor, quem ex absentia eximii sui domini[2], regis Olavi Tryggvii filii, conceperat: altera vero ex parte, inspiratione Sancti Spiritus, magna cupiditate incensus est, dei gloriam quam maxime promovendi in adjuvandis et emendandis profanis gentibus; idem quoque, ut Gunnlaugus testatur, Olavum Svionum regem, multosque alios homines, qui adversus regem Olavum Tryggvii filium pugnaverunt, sacro baptismo initiaverat. Deinde Sigurdus episcopus verbum dei per duos[3] proximos annos Svionibus annuntiavit; universum populum christianum reddidit, maledictam idololatriam exstinguens, christianismum sacro baptismo promovens, omni studio in id incumbens, ut regem in re divina confirmaret.

Oratio episcopi Sigurdi ad Sviones.

Cap. 4. Tertio anno, quo hoc firmum christianæ religionis columen, episcopus Sigurdus, (populum) ad veram religionem converterat, adversus eum multi et potentes viri magna cum violentia et enormi immanitate insurrexerunt, alii receptam religionem pedibus conculcantes, alii aperta invasione episcopum aggredientes. Quo cognito, ad oppidum, Sigtunum dictum, se contulit, quo magna potentiorum multitudo, qui veram religionem et sanctum baptismum repudiabant, convenerat. Antedictus vero dominus episcopus, solenni aliquo die festo, in augusto[4] quodam templo sacrum missæ officium peragens, christianam institutionem a pulcra

[1]) emendaret, S. [2]) amatoris, S. [3]) tres, B. [4]) splendido, S

oratione auspicatur, magno circumstante hominum numero. Aures mihi præbete, inquit, sanctæ religionis adversarii, et veram fidem destruentes, qui nomine digni estis immanium apostatarum! Tribus proximis hiemibus omnimodo labore necessitati vestræ servivi, ut per meam institutionem ad veram fidem digne pervenire, sicque sanatorem vestrum, Jesum Christum, constanter agnoscere, perversitati vero et erroribus renuntiare possetis. Nostis etiam, quod primo tempore, quo hic fui, dei venia et christiana fide regem vestrum baptizavi, quem dei auxilio bonum hominem factum judico; idem baptizavi magnam multitudinem aliorum hominum; proximo autem post anno multi ex vobis facti sunt filii adoptivi æternæ vitæ ex diutinis et obsoletis astutiis ethnicæ superstitionis; [paulo ante rationis expertes eratis et pessimi hæretici, nondum per aquam et Spiritum Sanctum regenerati, neque[1] liberi alumni sanctæ ecclesiæ; [jam vobis rem miram narrare possum, nempe minorem fuisse eam dei administrationem, qua res omnes ex nulla fecit materia, quam bonos et sanctos homines facere ex malis hæreticis; nunc dominus noster Jesus Christus sic facit sua misericordia, ut homines peccatores, qui emendari cupiant, ad veram pœnitentiam et clementiam invitet; [at vero, etsi vobis, aliisque talibus, tantas res de bona voluntate et sufficienti potestate domini nostri Jesu Christi demonstro, tamen suspicor, institutionem meam animis vestris pæne infructuosam fore, nam magna ex vobis multitudo susceptam fidem et voluntatem domini nostri male et indigne denegavit, quam proximis tri-

[1]) per aquam et S. Spiritum, B.

bus annis hic fundavi[1]. Jam hoc sciatis, me propter vestra scelera et apostasiam persæpe spirituali tristitia fatigari; hærebit in memoria nimius ille dolor, qui me totum occupavit, cum meum suavissimum amicum et illustrem dominum, regem Olavum Tryggvii filium, vidi armis vestris bellicis undique premi, et omnium[2] oculis subtrahi, quem vos jam mortuum putastis[3], quem vero ego contra opinionem vestram vere vivere contendo, quem in hac vita plurimum dilexisse fateor; verum multo magis me dolet, quod salutem vestram rejicitis, nunc denuo profitentes deos deasque, a quibus vos magno negotio ad tempus abstraxi; et hoc facto insidias mihi struere paratis et ad supplicium ducere, si poteritis, mihique eandem offerre conditionem, quam non ita pridem dei ministris obtulistis, quos e medio sustulistis in oppido, Vegsjor (Vexiö) dicto, qui nunc ad quietem pervenerunt, et spiritualiter placida requie fruuntur cum Jesu Christo ob martyrium suum. Nunc itaque contristor, non propter timorem aut minas, sed sola vestra necessitate ductus; metuo enim, ne enormi vestra stultitia ad peccandum solliciter. At enimvero confidenter dico, me ad certamen et spiritualem processionem haudquaquam minus esse paratum, quam vestrum quilibet, quamvis arma terrestria non gestem; defendo enim me sanctis et salutaribus armis. Jam vobis demonstrabo, quali armatura ornatus et confirmatus, [quibusque divinis notis fundatus[4] sim: ornatus sum mitra et indusio missali, stola et dalmatica, humerali et linteo manuali, cum baculo episcopali; hic et ejusmodi ornatus missalis firmam illam spem

[1]) a priore signo omitt. B, a posteriori S. [2]) meis, B. [3]) putatis, B, suspicamini, S. [4]) a deo, S.

significat, quæ me [tam in secundis, quam adversis[1] rebus defendit; idem, [dum inter homines vivo[2], induo puritatem animi et corporis, per indusium missale significatam; impositio stolæ significat, quævis levia et suavia esse dei amantibus; me quoque fides invicta confirmat, quam dalmatica repræsentat; præ his omnibus, ut aliis, dei donis, amor dei est, qui omnes res temporales superat, qui per humerale significatur; baculus vero episcopalis notat spirituale semen verbi divini, quo mali homines a perversis factis ad egregiam pietatem revocantur: [hi dein faciles, multique submissi facti[3], æternæ quieti consociantur; sed atroces apostatæ, talesque nimia superbia inflati homines, quales vos miseros esse probatis, terribili dei verbo devoti in tenebras exteriores ejicientur, ubi gelu est et frendor dentium[4]. Nunc itaque talibus perversitatibus renuntiantes, unusquisque vestrum animitus ad caritatem erga creatorem suum redeat, [omnia vestra peccata dei judicio subjicite, nam multiplici sua clementia plenam suam gratiam iterum ad vos convertet, malis rebus solutos et vacuos, ut quando ex fonte lavacri emersistis[5]; atque ex his rebus, quas jam vobis proposui, veram demonstravi spem æternæ felicitatis, cum omnibus iis, quæ vobis jam exposui de domino nostro Jesu Christo et omnium terrarum potenti domino. Et his dictis, supra memoratus dominus episcopus Sigurdus ex æde exit[6] in apertum campum, absoluto missæ officio, aliique viri, qui ibi adstiterant. Digresso populo, cum episcopus Sigurdus in cubiculum suum redierat, intravit ad eum vir quidam Islandus, no-

[1]) ab omnibus, S. [2]) omitt. S. [3]) omitt. S. [4]) a signo [omitt. B. [5]) omitt. S. [6]) Hic desinit B.

mine Hunrödus, filius Vefredi[1] Prisci. Hic domino episcopo gratias egit pro oratione, quam eo die coram populo habuerat. Dominus episcopus, sinceram hominis benevolentiam sentiens, cum intelligeret, eum memoriæ mandasse et animo retinuisse, quæ dixerat, Hunrödum perquam honeste accepit, et interrogavit, quid sibi agendum statuisset. Hunrödus respondit: ad terras orientales (mari baltico adjacentes), si institutum peragere licet, navigabo; tum episcopum amice rogavit, doceret se, an res suas ex cursu siderum notaret, ut ante se viri sapientes fecissent. Cui episcopus: mi dulcis fili! ne priscis opinionibus aut vanæ superstitioni te vendites, te potius omnesque spes tuas deo commenda; et, si gloriam aut opes acquirere tibi contigerit, deo acceptum referas, is enim tibi dedit; et hoc eum remuneres, ut ante omnia sanctam fidem teneas, quam te docui, hæc enim omnibus divitiis præstantior est. Tum Hunrödus episcopum Sigurdum interrogavit, quantum haberet pecuniæ, voluit enim ab eo aliquid mutuum sumere, boni ominis causa et in pignus prosperi successus. Dominus episcopus respondit: nescio me ullas habere pecunias, præter unum annulum, quem mihi rex Olavus Tryggvii filius, meus dulcis dominus et egregius amicus[2], dono dedit; atque novit deus, hunc annulum mihi tam nocivum esse, quam acutissimum serpentem, et lubenter voluerim, hoc annulo posthæc aliquot hominum animas deo conciliare, potius quam eo servando detrimentum afferre animo meo; at post paulo, quam dominus episcopus et Hunrödus digressi sunt, fama accepit Hunrödus, annulum prius memo-

[1]) Ævaris, add. S. [2]) dilectus, A.

ratum in tres partes divisum, et ad redimendos multos captivos christianos donatum esse. Traditum est, et supra quoque memoratum, Sigurdum episcopum, post prælium Svöldricum, in Sveciam concessisse, ibique diu commoratum fuisse. Hic dum versatus est, Sviones sæpe audivit dicentes, regem Olavum Tryggvii filium ex Serpente in mare progressum, et cum armis aquis submersum fuisse, sicque periisse. Quæ cum loquentes audiret, quæsivit: dicite, quæso, si rex Olavus Tryggvii filius mari submersus periit, ut putatis, qui fit, ut eadem lorica, qua in prælio usus est, conspiciatur Hierosolymis in magno monasterio suspensa, ut ibidem vulgo notum est? curve hasta et galea ejus vere Antiochiæ monstrantur? quisve has res in terras adeo longinquas detulit, si ibi, ut dicitis, demersæ sunt? Hæc dicenti respondent: si certo nosti, regem Olavum e prælio vivum evasisse, id probabilibus argumentis demonstra, ut credere possimus. Quæ cum dixissent, episcopus aliquantisper tacuit, non eo, quod veris argumentis ad rem probandam destitutus esset, sed ideo, quod hanc dei gemmam, sæpe laudatum regem Olavum, monachi habitu occultatam, porcis objicere noluit, secundum dicta Jesu Christi, ita dicentis: nolite gemmam offerre porco. Et propterea episcopus sic dixit: maluit rex Olavus, prout ipse bene novit, uni et vero deo indesinenter servire, quam lapsum perversorum hominum, quibus se prodesse non posse prævidebat, diutius avertere conari.

Mors Sigurdi episcopi.

Cap. 5. Sic quoque de Sigurdo episcopo scriptum reperitur, quod, cum ætate provectus erat, ad oppidum, Vernd[1] dictum, concessit, ubi deo

[1]) Verund, S.

longo temporis spatio servivit; eodem loco multi monachi humati dicuntur. Cum vero episcopus majorem in modum senescere et corpore debilitari cœpisset, in otio vitam sustentare cupiebat, ut senem virum oportuit. Die quodam jejunii accidit, ut balneum sibi parari curaret, lavanti vero vox supervenit, dicens: qui sustines, homo, quietem misero tuo corpori quærere ea die, qua dominus tuus Jesus Christus cruci affixus est? Quæ verba dominus episcopus in salutem sibi vere dicta putavit; quare mox animo anxius e balneo abscessit, insignem pœnitentiam agens, et hoc, quod jam dictum est, delictum, ceteraque omnia, quæ in deum commiserat, sincera confessione declarans. Et post paucos dies episcopus Sigurdus in acutum morbum incidit, communi via, salutariter decedens ex hac temporali vita ad omnipotentem deum, [cui laus et gloria, uni deo in trinitate per secula seculorum, amen[1].

Cap. 6. Eodem loco, quo Sigurdus episcopus mortuus est, venerabile ejus corpus præcipue a clericis suis et christianis laicis magno honore et ampla funeris pompa, ut reverendum episcopum decuit, sepultum est. Sic dicit frater Oddus[2], qui, præter Gunnlaugum, plurima latino sermone de rege Olavo Tryggvii filio composuit, Grimkelem episcopum, qui cum Olavo Sancto Haraldi filio fuit, et christianismum in Norvegia confirmavit, fuisse nepotem ex sorore Sigurdi episcopi, cujus supra mentio facta; Asgautus vero, tertius episcopus Thrandheimensis, fuit nepos ex sorore Grimkelis episcopi; fuerunt autem nepotes Asgauti ex so-

[1]) omitt. S. [2]) Hic fuit, ut puto, adnepos Asmundi Hærulangi, et Gretteris Robusti abnepos ex sorore; vide Tabulas Genealogicas.

rore: episcopus Jon, quartus[1] episcopus Thrandheimensis, et Ketil Vitulus, qui Gunnhildam, filiam Sigurdi Syris (Porci) et Astæ Gudbrandi filiæ, in matrimonio habuit; eadem vero matre nati sunt rex Olavus Sanctus et Gunnhilda.

De Gunnlaugo et Oddo.

Cap. 7. Sic dicunt fratres Gunnlaugus et Oddus, hos homines sibi de rege Olavo Tryggvii filio plurima narravisse, [quæ deinde composuerunt et litteris màndaverunt[2]: Gellerem, Thorgilsis filium, Asgrimum Vestlidii, Bjarnium Bergthoris[3], Arngunnam[4] Arnoris filiam, Herdisam Dadii et Thorgerdam Thorsteinis; deinde Gunnlaugus dicit se ostendisse historiam Olavi regis Gissuri Halli filio, qui hunc librum duos annos apud se retinuit; deinde vero, postquam ad fratrem Gunnlaugum rediit, hic eum ipse emendavit, ubi Gissur opus esse judicavit[5]. Potestate et meritis hujus deo carissimi amici, regis Olavi Tryggvii filii, beati sunt Norvegiæ incolæ, et non solum hi, sed etiam ii, qui hic in Islandia habitant, nec non in omnibus terris, Norvegiæ subjectis, quod deus omnipotens his terris dedit tam gloriosam dignitatem et solatium, tam excellens et potens robur, tam diu victurum auxilium et æternam gloriam et infinitum honorem, tam decentem dignitatem, ut non quemlibet nobis patronum elegerit, sed eum, qui in regno Norvegiæ summus fuit. Hic sanctam ecclesiam fundavit, et omni benevolentia nos dei præceptis imbuere, et hoc modo ad æternam beatitudinem invitare studuit; ille rex noster fuit in sua administratione et magnificentia, episcopus noster in sua prædicatione; idem quoque merito dici potest apostolus no-

[1]) octavus, S. [2]) omitt. S. [3]) Berthoris, S. [4]) Ingunnam, S. [5]) hic desinit S.

stri christiani cœtus in Norvegia terrisque subjacentibus; constanter quoque credimus, ejus intercessione hanc orbis septemtrionalis partem accepisse floriferum radium, firmum columen et auxiliatorem, ad exstruendum ædificium, ab rege Olavo Tryggvii filio pulcre formatum et prospera fortuna fundatum, quæ fuit divina fides et lex et justitia; nos perfecte beati sumus eo beneficio, quod nobis hac in vita dedit creatorem nostrum Jesum Christum cognoscere; ideo indesinenter gratias agemus deo omnipotenti, quod nostris parentibus omnibusque nobis talem virum dedit, qualis fuit rex Olavus Tryggvii filius, qui tantam præstitit utilitatem, christiana religione in regnum introducenda, constituendis sanctis moribus et patriis legibus, potestate et honore regum, dignitate episcoporum, reverentia doctorum, et acquisitione mercatorum. Hi omnes obsequio et legibus subsunt benedicti illius deo carissimi amici, regis Olavi Tryggvii filii: hic enim potentissimis dignitatem, pauperrimis misericordiam concessit, omnibus vero universim suum patrocinium et tutelam tribuit; quare vivit nunc et in æternum in celsissima regni cœlestis gloria cum ipso deo, qui vivit et regnat, unus deus in trinitate, per omnia secula seculorum. Amen.

Vita
Thorsteinis Domo-Majoris.

Cap. 1. Quo tempore dynasta Hakon Sigurdi filius Norvegiæ præfuit, colonus in Gaulardalo habitavit, nomine Brynjolvus, dictus Camelus, præfecti dignitate, insignis athleta. Uxori ejus nomen fuit Dagnya, filia Jarnskeggii Yrjensis. His unus erat filius, nomine Thorstein, magna statura et viribus, duri ingenii, nemini, quocum ei res esset, cedens. Hunc nemo Norvegorum statura æquavit, neque fores facile reperiebantur, quas commode intrare posset, quare dictus est Bæarmagn (Domo-Major), quod pleræque domus eum capere non posse videbantur. Cum in convictu difficilis esset, pater ei navem nautasque dedit, unde Thorstein jam in expeditionibus piraticis, jam in itineribus mercatoriis versatus est, quod utrumque ei ex sententia cessit. Hoc tempore rex Olavus Tryggvii filius regnum Norvegiæ accepit, Hakone dynasta a servo suo, cui nomen fuit Thormodus Karkus, jugulato. Thorstein Domomajor inter aulicos regis Olavi receptus, strenuus vir ab rege habitus, magnique æstimatus, aulicis vero minus acceptus fuit, quod iis visus est asperioris ingenii et pertinax; rex eum legationibus, quas alii obire detrectarunt, administrandis plurimum adhibuit, interdum pro-

fectionibus mercatoriis, ut regi res pretiosas compararet.

Cap. 2. Thorstein, cum aliquando, ad littus Balagardi excubans, adverso vento teneretur, mane quodam in terràm egressus est, et, quo tempore sol plagam euronoto tenuerat, in locum sylvæ, arboribus vacuum, pervenit: hoc loco amœnus erat tumulus; vidit in tumulo puerum, detonsa coma, qui locutus est: mater, inquit, da mihi lituum meum [et manicas laneas[1], equitationem enim lupinam exercere volo: nunc in mundo inferiori festum agitur. Tum lituus, rutabulo similis, ex tumulo ejectus est; ille [conscendit baculum[2], manicas sibi inducit, et puerorum more in arundine equitantium provehitur. Thorstein, tumulum ascendens, eisdem atque puer verbis utitur; atque mox baculus et manicæ ejiciuntur, his adjectis verbis: quis nunc accipit? Bjalbius, filius tuus, ait Thorstein, deinde conscendit baculum[3], et præcedentem puerum equitans insequitur. Hi ad flumen aliquod pervenerunt, et eo se præcipites dederunt, quo facto perinde fuit, ac si per fumum permearent. Mox lux oculis reddita: perveniunt, quo loco amnis ex rupibus præceps devolvebatur; heic Thorstein amplos tractus inhabitatos conspicit, urbemque magnam; eo se conferunt, oppidanis mensis accumbentibus; ingrediuntur in aulam, multitudine convivantium frequentatam; hic vasa argentea poculorum vicem præstabant: abacus in pavimento stabat: ibidem iis[4] omnia aurea visa, neque præter vinum quicquam bibi. Intelligere sibi visus est Thorstein, ipsos a nemine conspici. Socius ejus mensas obibat,

1) omitt. A. 2) sumit trabem, cet. omn. 3) trabem. iid.
4) ei, C, D, E.

quæcunque decidissent, excipiens. Rex et regina in celsa sede consederunt; convivæ per aulam accumbentes hilares fuerunt. Post hæc Thorstein hominem videt aulam intrantem, qui, salutato rege, se ad eum missum profitetur India, ex monte, Lukano dicto, ab dynasta, ejus regionis præfecto, indicans regi, se hominem occultum (lucifugam) esse. Is regi annulum attulit, quo præstantiorem nullum se vidisse rex existimavit; quare, spectaculi gratia, per aulam circumlatus est, omnibus eum collaudantibus; ille quatuor in locis dissolvi potuit. Alteram rem pretiosam Thorstein vidit, quæ ejus admirationem in se convertit, nempe stragulam, qua strata fuit mensa regia, aureis striis, duodecim gemmis pretiosissimis interstinctam; hanc stragulam Thorstein possidere vehementer cupiebat, quare animum ejus cogitatio subit, periculum faciendi, an regia fortuna adspirante annulo potiri queat. Jamque videns, regem in eo esse, ut annulum manui induceret, eripit ei annulum, altera vero manu stragulam rapuit, omnibus cibariis in sordes decidentibus. Thorstein per fores erupit, relicto in aula lituo. Nunc ingens tumultus existit, deinde excurrunt homines, Thorsteinem currentem conspicantur, eumque insequuntur. Qui videns, se insequentes effugere non posse, fatur: si tam bonus es, rex Olave, quantum confido, opem mihi fer! Tantum vero Thorstein pernicitate valebat, ut eum cursu prævertere non possent, priusquam ad fluvium perveniens gradum sisteret; hic multitudine circumventus, fortiter se defendit, innumeramque multitudinem interfecerat, antequam socius ejus adve-

nisset, lituumque attulisset; quo facto flumen ingressi, e conspectu ablati sunt. Ad tumulum ante memoratum pervenerunt, quo tempore sol in occidente fuit; tum puer baculum et bisaccium, bonis ferculis repletum, intro conjecit; idem quoque Thorstein fecit. Puer glabrio intro se corripuit, Thorstein vero ad fenestram subsistens, duas ibi feminas vidit, quarum altera telam bombycinam texebat, altera cunas movebat; hæc locuta est: cur Bjalbius, frater tuus, venire tardat? Ille contra: non me hodie comitatus est. Ea: quis igitur usus est lituo? Puer glabrio: Thorstein Domo-major, aulicus regis Olavi; qui quidem nos in magnum discrimen adduxit, quod res pretiosas, quales non fert Norvegia, ex mundo inferiore abstulit, et prope fuit, ut interficeremur, cum baculum in manus eorum conjecisset, qui eum persecuti sunt, donec fatigatione prope exhaustus esset: tum ei baculum attuli; et sane vir fortis est, nescio enim, quot hostium interfecerit. His dictis occlusus est tumulus. Thorstein ad suos reversus, cursum in Norvegiam perrexit, regemque Olavum in Vikia ad orientem convenit, cui hæc cimelia dedit, et de itineribus suis retulit, magna audientium admiratione. Rex Thorstein amplam præfecturam tributariam obtulit, ille vero se denuo iter in mare orientale suscepturum significavit; hanc porro hiemem apud regem exegit.

Cap. 3. Sequenti vere Thorstein navem apparavit, pistricem, viginti quatuor viris instructam. Ut Jamtiam attigerat, die quodam, cum in portu in ancoris staret, animi causa in terram egressus, in locum sylva vacuum pervenit, ubi ingens saxum stetit; haud procul

inde nanum vidit, mire deformem, supino ore lamentantem; cujus rostrum Thorsteini visum est aure tenus detortum, nasus vero ad rostrum usque demissum. Thorstein quæsivit, cur se tam monstruose gereret. Bone vir, inquit, ne hoc mireris! Videsne ingentem illam aquilam, quæ ibi volat: ea filium meum rapuit; quam pestem ab Odine missam reor: ego vero dirumpor, si puerum amitto. Thorstein aquilam jaculatus est, telo sub alas volante, ut fera exanimis decideret; Thorstein vero delabentem nani puerum prehendit, patrique dedit. Qua re nanus impense lætatus: tibi, inquit, ego et natus meus salutem debemus; cujus beneficii præmium, aurum argentumque opta. Tu primum filium sanes, ait Thorstein, ego vero non soleo mercenariam facere virium mearum operam. Non ideo remunerare minus debeo, ait nanus, tibi vero haud dignum, credo, quod offeratur, videbitur indusium meum e lana ovilla confectum: verum inter natandum lassus non eris, neque vulnera accipies, si hoc proximum corpori gestes. Thorstein indusio se induit, quod commodum ei fuit, quamvis ad nani staturam minus accommodum videretur. Depromsit quoque ex sacculo suo annulum argenteum, Thorsteinique dedit, beneque servare jussit, dicens ei nunquam defuturas pecunias, quamdiu annulum possideret. Deinde nigrum lapidem sumsit et Thorsteini dedit, his verbis: si hunc manu conditum habebis, nemo te conspiciet. Plura non habeo, quæ tibi usui esse possint, præter unum silicem, planum, quem oblectamenti gratia tibi donabo. Tum silicem e sacculo depromit, unacum stilo chalybeo;

silex erat triangulus, in medio albus, altera parte ruber, flava ambiente corona. - Nanus loquitur: si incutis stilum in silicem, qua albus est, tanta existit grandinis procella, ut nemo adversum respicere audeat; si hanc nivem cupis liquefieri, incute silicem, qua flavus est, tum enim existet splendor solis, omnia liquans; sin incutis, qua ruber est, existit ignis et favilla cum scintillatione, ut nemo contra intueri queat; denique, quicquid destinaveris, stilo et silice ferire poteris, et cum clamaveris, sponte in manum tuam redibunt. Plura hac vice non habeo, quibus te remunerem. Thorstein, gratiis de muneribus actis, ad suos rediit; quam profectionem si non suscepisset, multis sane commodis caruisset. Posthæc, secundos ventos nacti, cum mari orientali se commisissent, oborta caligine, per incerta locorum, quo tenderent, nescii, dimidium mensem errabundi ferebantur.

Cap. 4. Vespere quodam, cum terram prope abesse animadvertissent, demissis ancoris, navem in eo loco tenuerunt. Postero mane, læto aëre et sole sereno, sentiunt, se longum aliquem sinum maris ingressos, videntque amœna montium latera et sylvas. Nemo intra navem fuit, qui hanc terram nosset; nullum animans animadverterunt, neque feras, neque aves. Mox tentorium in terra posuerunt, locumque manendi præparaverunt. Sequenti mane Thorstein suis: notum faciam vobis, quid constituerim: me sex noctes hoc loco præstolemini, hanc enim terram explorare volo. Illi, ægre ferentes, cum eo ire voluerunt; quod denegans: si, inquit, ante septenos solis occasus non rediero, domum navigate, sicque regi Olavo dicite, credibile esse, redi-

tum mihi fato non datum iri. Deinde eum in sylvam comitati sunt, ubi cum e conspectu eorum se subtraxerat, ad navem redierunt. Hoc vero de Thorsteine dicendum, quod totum diem sylvam peragravit, nihil novi animadvertens; cum vero processerat dies, in latam viam pervenit, qua in diem usque vesperascentem procedebat: tum a via decedens, ad ingentem arborem concessit, eamque conscendit; hic satis erat spatii ad cubandum, quare ibi noctem somno transegit. Oriente sole, audit terram succussionibus tremere, hominumque loquentium voces; mox multos videt homines, numero viginti duo, advehi, celeriterque præterferri: quorum statura Thorsteini mirationem fecit, quippe qui homines pari proceritate antea non vidisset. Thorstein vestes induit; interea procedit mane, donec sol in plagam euronoti pervenerat.

Cap. 5. Jam Thorstein tres homines advehi conspicit, bene armatos, tantæque staturæ, ut nemo ex iis, quos prius viderat, his proceritate par esset. Qui medius equitavit, ceteros statura antecellebat, vestibus indutus auro intertextis, equo flavo vectus, cum ceteri cinereis veherentur, coccinis induti. Qui cum exadversum ei loco, ubi Thorstein erat, venerunt, vir princeps, gradum sistens: quid in arbore se movet, inquit? Tum Thorstein, obviam iis procedens, eos salutavit; illi ingentem risum tollere; vir ille ingens loquitur: tales homines raro nobis conspecti: quod tibi nomen, aut cujas es? Thorstein nomen edidit, et se Domo-majorem cognominari ait: familia vero mea in Norvegia est, aulicus sum regis Olavi. Vir ille ingens, subridens: plurima, inquit, falso de aulica ejus magnificentia narrantur,

si neminem habet specie magis militari; tu mihi videris potius nomen merere Domipueri, quam Domo-majoris. Thorstein: cede aliquid in monimentum dati nominis. Vir ille ingens sumtum aurum digitale (annulum), tres uncias pendens, Thorsteini dedit. Thorstein: qui vocare, cujus ordinis es, aut in quam terram perveni? Godmundus mihi nomen; regioni præsum, Glæsisvallis dictæ, cui subest terra, Risorum dicta; regis filius sum, famulorum meorum alteri nomen est Fullsterkio (omnino robusto), alteri Allsterkio (satis robusto), tune vidisti homines hoc mane hac prætervehi? Thorstein: prætervecti sunt viginti duo viri, haud parum se jactantes. Hi famuli mei sunt, ait Godmundus: Proxima huic terra Jötunheimi vocantur, quibus rex præest, nomine Geirrödus, cujus nos vectigales sumus. Patri meo nomen fuit Ulfhedin firmus; hic Godmundus appellatus est, ut ceteri omnes, qui in Glæsisvallis incolunt. Pater meus Geirrödgardos profectus est, ut regi tributa traderet, in quo itinere mortem oppetivit. Mihi rex nuntium misit, ut patri parentarem, parique, ac pater, dignitatis titulo ornarer; ægre tamen ferimus, Jötunibus servire. Thorstein: cur comites vestri prævecti sunt? Godmundus: terram nostram ab Jötunheimis ingens fluvius dirimit, qui Hemra dicitur, tantæ altitudinis et rapiditatis, ut a nullis equis, præterquam meis et sodalium, vadari possit; illi vero fontes fluvii circumvecti nos hoc vespere convenient. Thorstein: volupe foret, vobiscum proficisci, et videre, quid ibi novarum rerum accidat. Godmundus: haud scio, an hoc expediat; nam tu, credo, christianus es. Thorstein: id meo periculo sit. Nollem, ait Godmundus, tibi

mea causa mali quid accidere; sed si rex Olavus fortuna sua cœptis nostris adspirare velit, fatis committendum duxerim, si nobiscum profectus fueris. Thorstein hoc se pollicitùrum significavit. Godmundus eum, quo ipse vectus est, equum conscendere jussit, quod et fecit. Deinde fluvium advehuntur; heic una fuit domus, ubi novis vestibus sumtis se equosque induerunt; hæ vestes ejus naturæ fuerunt, ut nullam aquam transmitterent, aqua vero tam gelida fuit, ut si quod membrum immaduisset, confestim gangræna corriperetur. Fluvium transierunt, equis fortiter gradientibus; equus, quo vectus est Godmundus, fallente vestigio vacillavit, quo factum est, ut Thorsteini pedis digitus madefieret et protinus gangræna arriperetur. Cum fluvium evaserant, vestes humi exposuerunt, ut siccescerent. Thorstein digitum pedis abscidit, cujus fortitudinem omnes collaudabant. Jam perrexerunt iter, hortante Thorsteine, ne se occultarent: possum enim, (inquit), eam conciliare galeam occultatricem, ut a nemine conspici queam; quam artem Godmundus laudavit. Urbem appropinquantibus præmissi a Godmundo obviam facti sunt; jamque intrant urbem, ubi audire erat varii generis instrumenta musica, quæ Thorstein, immoderatius pulsari judicavit. Rex Geirrödus, obviam iis procedens, eos salutavit; ædes lapidea sive aula, ubi dormirent, iis designata, datique, qui equos in stabula ducerent; Godmundus in aulam regiam deductus est. Heic rex in celsa sede considebat, et juxta eum dynasta, cui nomen Agdius; hic territorio præfuit, Grundis (planitie campestri) dicto, sito inter terram Risorum et Jötunheimos, habitavit Gnipalundi: idem magiæ peritus, et sui

omnes gigantibus quam hominibus similiores. Godmundus in subsellio ante sedem principalem exadversum regem consedit, quod apud eos moris fuit, ut regis filius in celsa sede non prius consideret, quam patris mortui titulos accepisset, et primum poculum exhaustum esset. Heic exquisitissimum instauratur convivium, convivis potu indulgentibus lætis et hilaribus: deinde cubitum itum est. Ut vero rex Godmundus in cubiculum suum venit, Thorstein se conspiciendum dedit, cui illi irridebant. Godmundus suis, quis esset, aperuit, rogans, ne eum ludibrio haberent; deinde noctem somno transigunt.

Cap. 6. Primo mane, cum surrexerant, Godmundus in aulam regiam deductus est. Rex eum benigne excepit, dicens: nunc scire libet, an parem mihi atque pàter tuus obedientiam præstare velis; quod si facies, dignitatis titulis te augebo, terramque Risorum, dicto jurejurando, retinebis. Cui Godmundus: non lex est, jusjurandum a viris tam juvenibus postulare. Ita esto, ait rex. Deinde rex Godmundo peplum bombycinum superinjecit, eique regium nomen dedit; deinde ingens cornu sumsit, et Godmundo propinavit; ille, accepto cornu, regi gratias egit; tum surrexit, et trabi ante sedem regiam insistens, votum vovit, se nulli regi serviturum, neque officium præstiturum, dum rex Geirrödus viveret. Rex ei gratias egit, dicens, se hoc majoris facere, quam si jusjurandum dixisset. Deinde Godmundus, cornu exhausto, ad sedem suam se contulit; tum magna extitit convivantium hilaritas. Duo viri nominati sunt, comites Agdii dynastæ, alter Jökul (glacialis), alter Frostius (gelidus); hi invidia laborabant. Jökul crus bubulum corri-

puit et in Gudmundianos misit. Quod videns Thorstein, crus volans intercepit et remisit, ut in nares veniret homini nomine Gusto (flatui), qui, confracto naso omnibusque elisis dentibus, animo defecit. Rex Geirrödus, ira incensus, quæsivit, quis ossa per mensam jactaret, addens, tentatum iri, antequam res ad exitum pervenisset, qui in mittendis lapidibus validissimus esset. Deinde rex duos viros, Dröttum et Hösverem[1] advocans: ite, inquit, adferte huc pilam meam auream. Iverunt et retulerunt caput vituli (marini), centupondiarium, ignitum, stricturas emittens quasi ex ustrina, adipe ferventis instar picis destillante. Rex infit: sumite pilam, et invicem mittite: qui humi dejecerit, extorris esto et possessiones suas amittito; qui vero prehendere non ausus fuerit, infamis esto.

Cap. 7. Jam Dröttus pilam in Fullsterkum mittit, qui eam altera manu comprehendit. Thorstein, cum vires eum deficere animadverteret, accurrens pilam sustinuit, sicque utrique in Frostium torquent: nam athletæ primi

---

[1]) *Dröttr*, segniter incedens, it. nomen servi, Rígsmál, 12 (Edd. Sæm. ex recensione Er. Chr. Rask, Holm. 1818), a *dratta*, conject. Heidreki, str. 55. Lectio *Havsvir* (i. e. *Hösvir*) præferenda est, quod servi nomen est, Rigsm. l. c., ubi in textu male *Hösnir*. Vox declinanda ab adj. *hösur*, quod colorem lupi exprimit, id. q. *úlfgrár*, fulvo-cineraceus; sic epithetum est pellis lupinæ Edd. Sn. p. 159, 3: *ok sá halr, at Hárs veðri, hösvan serk hrísgrimnis bar* i. e. et ille heros in prælio fulvam lupi pellem gestabat (ɔ: in cohorte Ulfhedinum militabat) it. lupi, Fagrskinna in epicedio Eiríki Blodaxæ: *sèr úlfr enn hösvi á sjót goða*. Hinc *hösvir* pro lupo adhibet Fagrskinna, in appellat. navis, *borðhösvir*, ubi al. *borðhölkvir*; eadem vox ad servos translata, ob colorem (vestium vel faciei) fulvo-cineraceum.

ad utrumque scamnum stabant. Missam Frostius fortiter excepit, tam prope faciem advolantem, ut os genæ rumperetur. Ille pilam in Allsterkum mittit, qui eam utraque manu excipiens, prope aberat, ut oneri succumberet, nisi eum Thorstein sustinuisset. Allsterkus porro in dynastam Agdium misit, qui molem ambabus manibus excepit: cujus barba, adipe tacta, tota conflagravit, quare ei maxima fuit cura, ut pilam dimitteret; itaque eam in regem Godmundum conjicit, Godmundus vero in regem Geirrödum torsit, quo ictum declinante, Dröttus et Hösver obversi mortem oppetiverunt; pila vero in fenestram vitream incussa, in fossam, qua urbs circumdata erat, pervolavit, ibique ignem flagrantem excitavit. His ludicris sic finitis, compotatio repetita est; dynasta Agdius significavit, animum sibi semper horrere, quotiescunque in cohortem Godmundi veniret. Vespere Godmundus ac sui cubitum iverunt, præsentiæ Thorsteinis acceptum referentes, quod res sine detrimento exisset. Thorstein parum periculi factum asseruit; quid vero ludicri cras instituetur? Godmundus: rex luctationem proponet, tumque se ulciscentur, nobis enim longe sunt viribus superiores. Regia fortuna vobis aderit, ait Thorstein, nolite impedire, quominus huc deferamini, ubi ego sum. Nocte somno transacta, mane suam quisque oblectationem repetivit, famulis mensas sternentibus. Rex Geirrödus interrogavit, vellentne luctari; illi rem ipsius arbitrio permisere. Deinde vestes exuebant, et in mutuos complexus ibant. Parem huic congressum nunquam se vidisse Thorstein existimavit, omnia enim cadentibus tremuere, Agdianis in ludo inferiores auferenti-

bus. Frostius in pavimentum progressus: quis adversum me procedet? Fullsterkus excepit: aderit aliquis, credo. Jam congrediuntur, invicem valide raptantes, Frostio multum viribus superiore. Qui cum ad Godmundum inter luctandum deferrentur, Frostius adversarium in pectus elevans, corpus valde reclinavit. Thorstein pedem poplitibus ejus incussit, ita ut Frostius resupinus caderet, superque eum Fullsterkus; Frostio occiput et extrema cubitorum contundebantur. Ille, tardius resurgens: vos non soli ludicrum exercetis; curve comitatus vester tam male fœtet? Cui Fullsterkus: brevis olfactui ab naso ad os via. Tum Jökul surgit; hunc Allsterkus adgreditur; uterque summa strenuitate congreditur. Allsterkus ab Jökule, utpote robustiore, ad scamnum, ubi aderat Thorstein, repellitur. Quem Jökul a scamno retrahere conans, solo fortiter obnixus est; Thorstein vero eum retinuit. Jökul tantas adhibuit vires, ut in pavimentum aulæ talo tenus penetraret; Thorstein vero Allsterkum a se repulit, quare Jökul in tergum collapsus, pesque ejus luxatus est. Allsterkus in scamnum recessit; Jökul vero, tardius resurgens: non hos omnes videmus, inquit, qui in scamno sunt. Geirrödus Godmundum interrogavit, luctarine vellet. Ille vero se nunquam luctatum esse, neque tamen detrectare velle ostendit. Rex Agdium dynastam jussit, suos ulcisci. Ille se ab ea re desvefactum significavit, rem tamen regis arbitrio permisit. Vestes exuunt; Thorstein existimavit, se truncum corporis specie magis gigantea, quam Agdii, nunquam vidisse: fuit enim Helæ instar lividus. Godmundus contra insurrexit, albo cutis colore conspicuus.

Quem adversus Agdius dynasta vasto corporis motu ruens[1], chelas manuum tanta vi lateribus adegit, ut in ossa penetrarent. Hi ultro citroque per aulam lati cum eo venissent, ubi Thorstein erat, Godmundus volubili luctæ genere usus, dynastam veloci rotatione circumegit. Thorstein se ad pedes dynastæ submisit, quare hic collapsus solum naribus tetigit, ut nasus furinus et quatuor dentes frangerentur. Dynasta surgens: graves, inquit, existunt senum casus, et ita gravissimi, si tres unum aggrediuntur. Quibus gestis vestes induerunt.

Cap. 8. Post hæc rex ac sui accubitum iverunt; Agdius dynasta cum rege collocutus, eos dolum aliquem adhibuisse, questus est: semper enim, inquit, caleo, si quando cohorti eorum me immisceo. Sic rem manere sinamus, ait rex, aderit enim, qui aperiet. Tum bibere incipiunt. Mox duo cornua intro in aulam lata, quæ dynastæ Agdio fuerunt, Hvitingi nominata, duas ulnas alta et auro ornata; quorum utrumvis per singula scamna circumferri jussit rex, præcipiens: quisque uno haustu cornu exhaurito; qui non poterit, pocillatori unciam pendito. Sed nemo præter athletas exhaurire potuit; Thorstein vero providere potuit, ne quis ex Godmundianis multaretur. Reliquum diei poculis indulsere, vespere cubitum ivere. Godmundus Thorsteini pro præsenti sua opera gratias egit. Thorstein, quo tempore convivium finiretur, quæsivit. Godmundus: crastino mane mei discedent; jam scio, regem magnificentissime nos excepturum; quippe jam res pretiosæ spectaculo exponentur: rex intro ferri jubebit in-

[1]) *havsvast*, ab *hösvir* v. not. cap. præced., servorum modo grassari, ut *þjösnast*, a *þjösni*, ea grassandi notione.

gens illud cornu, quod ipsi est, Grimum bonum appellatum, rem pretiosissimam, et tamen veneficio plenum, auroque ornatum; in infima parte humanum caput est, carne et ore[1] instructum, quod cum hominibus colloquitur, et res futuras prædicit, et si tempora infesta prænoverit; nobis autem vita constabit, si noverit rex, christianum hominem nobiscum versari; expedire puto, ut ei haud parce munera conferamus. Thorstein ait, Grimum non plura locuturum, quam rex Olavus vellet: Geirrödum autem fato propinquum auguror; e re vestra esse puto, ut posthæc meis consiliis utamini; ego vero cras me ostendam. Illi hoc factu periculosum ostenderunt. Thorstein dixit, Geirrödum velle eis mortem maturare: tu vero, quæ plura de Grimo bono referre habes? Hæc de eo referre habeo: vir mediocris staturæ sub curvatura ejus stare potest; corona est ulnam lata, quam qui exhaurit, in bibacissimis ponitur, rex vero totum uno haustu ebibit; quisque debet rem aliquam pretiosam Grimo dare; hoc vero in summo honore ponit, si quis uno haustu exhaurit; scio autem meum esse, primum omnium ex cornu bibere, quod uno haustu facere, nullius hominis est. Thorstein: indusium meum corpori indue, quo facto non tibi nocebit, quamvis venenatus potus insit; coronam ex capite tuo sume, Grimo bono dona, et in aurem ei dic, te multo majorem, quam Geirrödus, honorem ei præstiturum. Deinde simula, te bibere; potum venenatum, qui certe in cornu est, corpori proximum defunde, quod sine noxa erit; finita vero potatione, comites tuos avehi jube. Godmundus se consiliis ejus usu-

[1]) coma, cet.

rum ostendit: si vero mortem obibit Geirrödus, totum Jötunheimorum imperium ad me pervenit; sin vero supervivet, certa mors nos manebit. Deinde noctem somno transigunt.

Cap. 9. Primo mane surgentes vestes sumunt. Tum Geirrödus ad eos accedens rogat, ut salutem suam (prosperum reditum) biberent. Sic fecerunt. Primum cornua Hvitingi exhausta statim post pocula quotidiana demensa. Deinde in honorem Thoris et Odinis[1] bibitum est; post multa instrumenta musica intro lata, intrarunt et duo viri, aliquanto Thorsteine minores, Grimum bonum ferentes. Cui omnes adsurrexerunt et in genua se submiserunt. Grimus vultu fuit minime hilari. Geirrödus Godmundo: accipe Grimum bonum; hoc poculum exhaurito in pignus datæ fidei. Godmundus ad Grimum accedens, demtam sibi auream coronam ei imposuit, eique in aurem dixit prout præceperat Thorstein. Deinde ex poculo in indusium defudit, venenum scilicet. Geirrödo salutem propinavit, et caudam cornu osculatus est; Grimus eum ridens reliquit. Tum Geirrödus plenum cornu accepit, Grimum rogans, ut auspicato adesset, sibique indicaret, ecquid instaret periculi: ego vero te sæpe lætiore vultu vidi. Tum demtam sibi torquem auream Grimo dedit, deinde Agdio dynastæ propinat, quod haud absimile visum est, ac si fluctus scopulo illideretur, liquore per guttur defluente; et ille quidem totum exhausit. Grimus caput concussit; tum ad Agdium dynastam allatus est, qui ei duos annulos aureos dedit et pacem ab eo expoposcit, deinde tribus haustibus ebibit, pocillatorique dedit. Tum Grimus: ita quisque ignavus fit, ut senescit. Mox cor-

1) omnium Asorum, cet.

nu denuo repletum duo biberent, Jökul et Fullsterkus. Fullsterkus prior bibit. Jökul, accepto cornu, inspiciens, nequiter bibisse asseruit, et Fullsterkum cornu percussit. Ille vero pugnum naso Jökulis incussit, ut mentum furinum frangeretur, dentesque eliderentur. Tum ingens tumultus extitit. Geirrödus eos rogavit, ne in vulgus differri paterentur, quod tam infestis animis distraherentur. Quare confestim invicem reconciliati sunt, Grimusque bonus e medio ablatus est.

Cap. 10. Post paulo vir aulam ingressus est, cujus brevitatem omnes demirabantur; hic fuit Thorstein Domipuer. Ille ad Godmundum conversus, equos paratos esse significavit. Geirrödus, qüis iste puer esset, quæsivit. Cui Godmundus: hic servulus meus est, quem mihi rex Odin misit, regium cimelium (mirio), multa ludicra callens; qui si ad rem aliquam utilis tibi videtur, eum tibi donare volo. Hic puer vultu ingentia portendit, ait rex, videre cupio dexteritatem ejus; Thorsteinem rogans, ut ludicrum aliquod exerceret. Thorstein silicem et stilum sumsit, et, qua albus erat, incussit; quo facto tantus extitit nimbus grandinis, ut contra aspicere auderet nemo, tantis nivibus in aulam se ingerentibus, ut ad talos pertingerent. Rex arrisit. Mox Thorstein silicem, qua parte flavus erat, percussit; quo facto tantus extitit ardor solis, ut nix omnis brevi momento liquesceret, dulci insequenti odore. Geirrödus eum artificem appellavit. Thorstein vero unum restare ludicrum ait, cui nomen ludus stricturarum[1]. Rex hunc se cupere videre ostendit. Thorstein in medio pavimento stans, silicem, qua ruber erat, percussit, quo

[1] ustulationis, A, C.

facto scintillæ evolarunt. Deinde per aulam adversum quodque sedile procurrit, scintillatione increbescente, ut quisque opus haberet oculis suis cavere. Rex vero Geirrödus, ceteris aucto igne exterritis, rem risu excepit. Thorstein Godmundo præceperat, ut exiret et equum conscenderet. Thorstein ad Geirrödum accurrens: visn' tu, inquit, ut ludum augeam? Age vero, puer, ait ille. Tum Thorstein fortius incutit, quo facto oculus regis Geirrödi igne tactus est. Thorstein ad fores procurrit, et silicem et stimulum in utrumque oculum Geirrödi conjecit, ut mortuus in pavimentum collaberetur; quo facto exiit; tum Godmundus equum conscenderat. Thorstein, ut aveherentur, hortatus est: neque enim jam timido morari tutum. Adequitant ad fluvium; tum silex et stimulus redierant. Thorstein Geirrödum mortuum esse significavit. Amne trajecto veniunt, quo loco ante convenerant. Tum Thorstein: heic digrediamur; meis enim tempus adesse videbitur, credo, ut redeam. Godmundus: me domum sequere, ut præmium pro strenue navata opera referas. Post hanc conditionem acceptabo, ait Thorstein; tu vero Geirrödigardos frequens adito, nunc enim regio in tua potestate est. Res penes te sit, ait Godmundus, regi vero Olavo meam salutem perfer. Tum vas aureum et orbem argenteum et mantile, viginti ulnas longum, auro intertextum, regi dono misit, petens, ut Thorstein se visitaret. Quibus gestis amicissime digrediuntur.

Cap. 11. Jam vero Thorstein conspicit Agdium dynastam vehementi jötunico furore ruentem; quem insecutus Thorstein magnam villam, quæ Agdio fuit, conspicit. Ad fores cancellatas hortus fuit, ubi virgo adstitit, filia Ag-

dii, nomine Godruna, statura magna et venusta. Ea patrem salutavit, et quid novi quæsivit. Sat novi, ait ille: rex Geirrödus mortuus est, Godmundus ab Glæsisvallis nos omnes decepit, christianumque hominem ibi abdidit, nomine Thorsteinem Domomajorem, qui ignem oculis nostris infudit; quamobrem ejus socios nunc interficiam. Ibi cornua Hvitingos dejicit, et in sylvam ruit, furenti similis. Thorstein Godrunam accessit. Illa eum salutavit, et de nomine quæsivit. Ille se Thorsteinem Domipuerum vocari dixit, aulicumque esse regis Olavi. Procerus, credo, est procerrimus, ait illa, ubi tu puer es. An me sequi vis, ait Thorstein, et amplecti fidem? Exiguis sane deliciis heic loci mihi renuntiandum est, ait illa, nam mater mea mortua est; ea filia fuit Ottaris dynastæ ex Holmgardis; quæ patri ingenio admodum dissimilis fuit, ille enim vi gigantea præditus est, quem nunc fato propinquum esse intelligo. Si vero me huc reducere vis, tecum ibo. Deinde ea res suas secum abstulit, Thorstein vero cornua Hvitingos. Sylvam ingressi conspexerunt Agdium, valde ejulantem, manus ob oculos tenentem. Ea enim rès intervenerat, ut quo momento navem Thorsteinis conspexit, tantus dolor oculos ejus furinos invaderet, ut nihil quicquam cerneret. Tum socii Thorsteinis ad abitum erant parati, qui viso Thorsteine admodum lætati sunt. Thorstein, conscensa nave, solvit; de cujus profectione nihil proditum est, priusquam domum in Norvegiam pervenisset.

Cap. 12. Hac hieme rex Olavus in Thrandheimo se continebat. Thorstein, regem festo jolensi conveniens, ei res pretiosas ab Godmun-

do missas, cornua Hvitingos, multaque alia cimelia attulit; regi de itineribus suis narravit; Godrunamque monstravit. Rex gratias ei egit, omnibus fortitudinem ejus collaudantibus et demirantibus. Deinde rex Godrunam baptizari curavit et in religione institui. Thorstein ludum stricturarum per festum jolense exercebat, magna spectantium voluptate. Hvitingi poculorum salutatoriorum vicem præstiterunt, duobus viris singulos exhaurientibus; sed vas, regi a Godmundo missum, nemo præter Thorsteinem exhaurire potuit; mantile vero, quamvis igni injectum, non exarsit, sed nitidius quam antea evasit. Thorstein regi significat, se cum Godrúna nuptias jungere velle, quod rex ei concessit, honestumque celebratum convivium nuptiale. Prima vero nocte, qua in uno lecto fuerunt, demisso velo, sponda lecti, a capite Thorsteinis, emota est; adfuit nempe Ağdius dynasta, eum interfecturus. Quem adversus tantus æstus se incitavit, ut ingredi non auderet, sed abscederet. Tum rex superveniens, deaurato baculo, securi armato, caput ejus percussit, ille vero in terram se demersit. Rex hac nocte excubias agebat, mane autem cornua Hvitingi disparuerant. Convivium pulcre administratum est. Thorstein apud regem hiemem transegit, illo ac Godruna mutuo se amore diligentibus. Insequenti vere Thorstein veniam a rege petivit ad terras orientales navigandi regemque Godmundum conveniendi. Quam rex daturum se negavit, nisi rediturum promisisset. Promisit Thorstein. Rex eum hortatus est, ut religionem constanter servaret: tibique magis confide, quam incolis orientalibus. Sic amice digrediuntur; abeunti omnes bene precati sunt, gratiam enim singulo-

rum sibi conciliaverat. Navigavit in mare orientale, quæ profectio, prout memoriæ proditum est, prospere cessit. Glæsisvallos venientem Godmundus prolixe accepit. Thorstein: quid novi ex Geirrödigardis audivisti? Mihi illuc profecto, ait Godmundus, regionem in potestatem tradiderunt, cui Heidrekus Ulfhamus (pellis lupina), filius meus, nunc præest. Thorstein: ubi Agdius dynasta? Godmundus: ille, te profecto, tumulum sibi condi fecit, in quem magna cum pecunia descendit; Jökul vero et Frostius, a convivio redeuntes, in fluvio Hemra submersi periere; ego vero territorium Grundense in potestate mea habeo. Thorstein: id magni jam refert, quotam portionem mihi concedere velis; omnes enim opes, ab Agdio dynasta relictas, ad filiam Godrunam rediisse existimo. Godmundus: volo, si mihi subjectus esse vis. Thorstein: itaque non rationem habeto religionis, quam profiteor. Non habebo, ait Godmundus. Deinde in Grundas proficiscuntur, quod territorium Thorstein sibi subjecit.

Cap. 13. Thorstein villicationem Gnipalundi restauravit; Agdius enim dynasta, redivivus factus, prædium vastaverat; Thorstein magnam sibi apud incolas auctoritatem comparavit. Post paulo Godruna puerum peperit, nomine Brynjolfum. Agdius dynasta ab inquietando et lacessendo Thorsteine minime abstinuit. Nocte quadam Thorstein, lecto egressus, Agdium advenientem conspexit, nullas vero fores intrare audentem, quod crucis signum ante quascunque fores erat constitutum. Thorstein tumulum accessit; is apertus fuit; huc ingressus cornua Hvitingos abstulit. Ag-

dium dynastam eo momento tumulum ingressum Thorstein cursu præterlatus effugit, posita in foribus cruce; quare occlusus tumulus est, Agdiusque ab eo inde tempore non animadversus. Æstate sequenti Thorstein in Norvegiam profectus, regi Olavo cornua Hvitingos tradidit; impetrata deinde venia, ad res suas rediit, jussus a rege religioni constanter adhærere. Ex quo tempore nulla de Thorsteine fama ad nos perlata est. Cum vero rex Olavus in Serpente longo e conspectu ablatus est, cornua Hvitingi disparuerunt. Sic particulam de Thorsteine Domipuero conclusimus.

Particula
de Thorsteine Trepidulo.

Æstate, postquam rex Olavus convivia per Vikiam, multisque aliis in locis, obierat, dicitur convivio interfuisse in prædio, dicto Reina, numeroso comitatu stipatus. Tum vir cum rege fuit, nomine Thorstein, filius Thorkelis, filii Asgeiris Ædikolli, filii Audunis Skökulis, vir Islandus, qui proxima hieme ad regem pervenerat. Vespere, cum super vina sederetur, rex Olavus vetuit, ne quis suorum ea nocte solus in podium secederet; si quis autem ire vellet, secum advocaret lecti socium, alioquin rem non bene cessuram. Cum vespere poculis convivæ indulserant, mensæque remotæ erant, cubitum ivere. Cum vero jam nox processerat, Thorstein Islandus evigilans, significavit se lecto egredi velle; is vero, qui apud eum cubavit, alto sopore oppressus erat; quare Thorstein eum nullo modo excitare voluit. Itaque surgit, calceos pedibus inducit, crasso sago se circumdat, et ad sellas familiaricas se confert; hæc magna erat domus, ut ab utraque parte undecim homines sedere possent. In ultima sella consedit; cum vero aliquamdiu desedisset, videt dæmonem in intima sella emergere, ibique considere. Tum Thorstein: quis adest? Inimicus ille respondet: Thorkel Tenuis, qui cum rege Haraldo Hilditanno acie

cecidit. Thorstein: unde ades? Ille se modo ab inferis advenisse dixit. Thorstein quæsivit: quid inde referre habes? Ille: qua de re quærere vis? Quinam optime cruciatus infernales sustinent? Nemo melius, ait dæmon, quam Sigurdus Fabnericida. Quem ille cruciatum fert? Incendit ardentem fornacem, ait dæmon. Thorstein: hic cruciatus haud ita magnus mihi videtur. Dæmon: haud recte æstimas, ipse enim flammam alit. Thorstein: tum utique magnus est; quis vero pessime cruciatus ibi tolerat? Dæmon: Starkadus Grandævus, hic enim tantopere clamat, ut hoc majorem nobis diabolis cruciatum adferat, quam pleraque alia, ita ut præ ejus clamore nunquam quiete frui possimus. Thorstein: quem adeo cruciatum habet, ut eum tam male sustineat, qui tanta fortitudinis fama inclaruerit? Igne talari cruciatur. Thorstein: haud ita grave mihi hoc videtur, cum vir tam fortis fuerit. Dæmon: haud recte hoc æstimatur; solæ enim pedum plantæ ex igne exstant. Thorstein: tum sane grave est; age vero, clamorem aliquem ede, illius similem. Ita esto, ait dæmon. Mox, rictu diducto, immensum mugitum sustulit. Thorstein vero, etsi capiti sinum sagi obduxerat, tamen ad hunc clamorem pæne animo defecit, perroque dixit: an huncce clamorem maximum fere edit? Procul abest, ait dæmon, hunc enim nos clamorem edimus diaboli pusiones. Thorstein: tu, quæso, clamorem Starkadi tantulum imitare. Ego vero faciam, ait dæmon. Tum altera vice tam horrendum rugire occepit, ut miraculo Thorsteini esset, tantillum diabolum tantum rudere posse. Jam Thorstein idem fecit, quod ante, ut caput sago obvolveret, et tamen tantopere affectus est, ut

deliquium animi pateretur, neque sui compos esset. Tum dæmon: qui nunc taces? Thorstein, ut ad se redierat, respondit: ideo nunc taceo, quod miror immanitatem vocis, quæ lateribus tuis inest, qui tantulus diabolus mihi videris; hic vero an maximus Starkadi clamor est? Ille: absit, imo minimus. Ne diutius subterfugias, ait Thorstein, verum age, fac audiam clamorem maximum. Annuit dæmon. Tum Thorstein apparavit sese, sagum complicavit, idque, ut erat, caput circumjecit, ambasque manus adpressit. Dæmon, singulis editis clamoribus, tribus sellis propius se ad Thorsteinem admoverat, tum tribus tantum sellis inter eos intersitis. Heic dæmon terribili modo buccas inflare, oculos contorquere, tantumque rugitum tollere, ut omnes modi terminos excedere videretur; eo vero ipso momento in oppido campana sonuit. Thorstein, animo deficiens, in pavimentum prolapsus est; dæmon autem tinnitu campanæ ita affectus est, ut in solum demergeretur, post diu terra sonitum ab imo reddente. Thorstein brevi se collegit, surrexit, in lectum regressus est et recubuit. Illucescente vero die homines surrexerunt, rege ad templum se conferente, et rei divinæ interfuerunt; quo facto accubitum iverunt. Rex, vultu non admodum blando, infit: ecquis hac nocte solus sellas familiaricas adiit. Tum Thorstein surrexit, et coram rege procidens, se jussa ejus violavisse fassus est. Rex: non quidem hac in re me magnopere læsum judico, sed facto probas, verum esse, quod de vobis Islandis vulgo dici solet, nempe vos fere proprio ingenio obtemperare; tu vero ecquid animadvertisti? Thorstein rem omnem, ut acciderat, retulit. Rex quæsivit: quare utile

existimasti, illum clamare? Dicam, domine: quoniam vetueras, ne quis illuc solus iret, persuadebam mihi, quandoquidem emergebat nebulo, me atque illum non sine periculo digressuros; sperabam vero, si clamaret, te, domine, evigilaturum, servatum me judicans, si animadverteres. Ita quoque factum est, ait rex, ut evigilarem; novi quoque, quid rei gereretur, ideoque campanam pulsari jussi, quod novi, rem alioquin non sine malo tuo exituram; tunc vero pertimuisti, clamare incipiente dæmone? Thorstein reposuit: nescio, quid hoc sibi velit, timor, domine! Rex: nullusne metus pectus tuum occupavit? Thorstein: minime, nam ad ultimum modo clamorem pectus levi metu trepidare cœpit. Rex: nunc nomini tuo cognomen addam, teque Trepidulum appellabo; ecce gladium, quem tibi in pignus dati cognominis dono. Thorstein gratias egit. Dicitur Thorstein inter aulicos regis Olavi receptus, et ab hoc inde tempore apud eum versatus, et unacum aliis regiis athletis in Serpente longo occubuisse.

Particula
de Ormo Storolfi filio.

Cap. 1. Hængus nominatus est vir, filius Ketilis Naumdalensium dynastæ; mater vero Ketilis dynastæ nomine fuit Hrafnhilda, filia Ketilis Hængi ex Hrafnista. Hængus fuit vir nobilis; is in odium regis Haraldi, Dofrii alumni, pervenit ob cædem Hildridæ filiorum, et ob eam causam e patria profugit. Hængus occidentem versus in oceanum navigavit, Islandiam quæsiturus; terra conspecta, animadvertunt, se ad australem insulæ partem advectos; in amplum fluminis ostium subvecti, ad ripam orientalem appulerunt: is fluvius nunc Thjorsaa dicitur. Illi multa terræ loca obierunt. Hængus primam hiemem ad orientalem[1] ripam Rangaæ transegit; vere autem sequenti totum tractum occupavit inter Thjorsaam et Markarfljotum, quantum inter montes et mare patebat, et Hofi ad Rangaam orientalem habitavit. Uxori ejus nomen fuit Ingunna, quæ eodem vere filium peperit, nomine Hrafnem. Hængus territorium convectorum aliis distribuit, aliis vendidit, qui et aborigines appellati. Herjulfus nomen fuit alteri Hængi filio, cujus filius fuit Sumarlidius; Helgius nomen erat tertio, Vestar quarto. Hrafn Hængi filius primus fuit in Islandia prætor; is Hofi, patre

[1]) exteriorem, *D*, *F*, *K*.

mortuo, habitavit; filia ejus fuit Thorlauga, quam Jörundus pontifex in matrimonio habuit. Quinto Hængi filio nomen fuit Storolfus, qui filiorum ejus maximus habitus est, cum Hrafn in nobilissimis poneretur. Storolfus in matrimonio habuit Thorarnam[1], sororem Thorbjörnis Skolmi, ejus, qui pater fuit Thoralfi. Storolfus Hvoli habitavit, quod Storolfshvolum appellatum est; idem omnium hominum fuit robustissimus, et omnium hominum sermo fuit, eum non fuisse simplici humana natura præditum; idem vir fuit gnarus et multiscius, et ob eam causam magiæ peritus est existimatus. Ex Thorarna uxore filium genuit, nomine Ormum, qui mature tam statura et viribus, quam artium peritia excellebat, nam septem annos natus viros robustissimos virium magnitudine et omnium artium peritia æquabat; a patre haud magnopere amatus est, quod ei se difficilem (minus obsequentem) præbuit et opus facere noluit, matri vero perquam carus fuit; idem nunquam ad focum hærere consuevit, jamque adolevit, donec decem annorum esset. Storolfus erat multi laboris et in opere faciundo diligens[2]. Die quodam æstatis Storolfus fœnum convehi jussit, quaternis adhibitis jumentis; ipse fœnum construxit; cum vero copia operarum fœno aggerendo deesset, pluviaque instare videretur, Ormum filium advocavit, petens, ut adjuvaret fœnumque congereret. Sic quoque Ormus fecit. Cum vero nubes pluviam contrahere cœperunt, tum Storolfus summo studio fœnum coacervare occepit, et Ormum vehementer hortatus est, ut operam navaret, et viribus corporis uteretur, compellans eum longum ignavionem, et molliore

[1]) Thorunnam, cet. [2]) negotiorum studiosus, K.

virium robore, cui plus staturæ, quam virium aut strenuitatis tributum sit. Quibus dictis Ormus ira stimulatus, totum fœni acervum brevi temporis spatio suggessit; hoc ipso momento jumentum advenit; tum Ormus vehem et equum cum omnibus instrumentis tractoriis prehensum in struem fœni tanta vi conjecit, ut senex Storolfus excuteretur, et in interfœnium collaberetur, qui casus tam gravis extitit, ut tres costæ fractæ sint. Tum Storolfus: haud expedit, hominem vehementem stimulare, et facile apparet, te ingenio minime temperaturum. Ormus, pro ea, qua fuit, ætate, omnibus visus est insigne virium specimen edidisse.

Ormus Storolfi filius fœnisecium exercet.

Cap. 2. Adhæc ferunt, Storolfum aliquando colloquium cum Ormo filio instituisse, et ab eo petivisse, ut in pratum descenderet et fœnum secaret: operariis enim fœnisecium ea æstate parum procedere. Ormus: ubi falx est, qua demetam? Storolfus ei manubrium et novam falcem dedit, utrumque majorem in modum ingens. Ormus falcem manibus contorquendo dirupit, manubrium vero pedibus insistens diffregit, neutrum sibi usui fore dicens. Tum discedens, duabus sumtis ferri decemlibris, officinam ferrariam adit, et falcem fabricat sibi; sumtam deinde e congerie lignorum perticam, commodam sibi facit, eique bina impingit tigilla manualia, novam falcem adaptat, ferroque circumvincit, quo facto descendit in pratum: heic ea fuit loci natura, ut solum esset tuberosum, graminosum vero et herbarum bonitate præstans. Ormus fœnum desecare incepit, et in opere totum diem in vesperam usque perseveravit. Storolfus operarias misit, quæ desectum ab Ormo fœnum in spatia cogerent. Quæ cum in pratum venis-

sent, animadvertunt, Ormum duplicatis seriérum ordinibus fœnum demessuisse; mox aggredientes fœnum furcillis versare parabant, quod illis haud tam facile, quam putabant, successit, nullum enim ordinem, neque furcillis, neque manibus, loco movere potuerunt; deinde domum reversæ patrifamilias indicant. Tum ille domo profectus, equitat in pratum, atque advertit, Ormum omnes tuberes desecuisse et in ordines corrasisse; cessare deinde jubet, neque plus prati inutile reddere; sic quoque Ormus tum fecit; falx autem, qua usus fuerat, ad convexitatem usque dorsualem detrita erat. Tum Ormus partem agri octo struium (jugerum) demessuerat, quæ sola pars agri Storolfshvoliani plana est, singulis inter singulos ordines jugeribus; quorum omnium vestigia hodiequecernuntur.

Ormus fœni cumulum portavit.

Cap. 3. Vir fuit nomine Dufthakus, prædium, Holtum dictum, deinceps Dufthaksholtum appellatum, incolens. Dufthakus magna erat statura, indole valde efferata, ut non simplicis naturæ humanæ videretur. Hic ac Storolfus sæpiuscule infestis inter se odiis certabant, interdum vero conjunctissima inter eos familiaritas intercedebat, quæ tamen postremo malum exitum habuit; sunt enim, qui dicant, Storolfum ab Dufthaco necatum. Interea procedit tempus usque eo, donec Ormus octodecim annorum erat. Tum acris instabat hiems, ut terra pecudibus alimenta negaret. Storolfo multæ erant pecudes, procedente vero hieme, inopia pabuli laborare cœpit, ut providere sibi visus sit, nisi aliqua ratione subveniretur, se pecudes suas amissurum; nam in ea tribu nuspiam fœni facultas erat; solus Dufthakus fœni

quidem tantum habuit, ut superesset, sed cum nemine communicare voluit. Eo tempore amicitia inter eum et Storolfum frigebat. Tum Storolfus Ormum filium ad Dufthakum misit, aliquantum fœni ab eo petitum: tempus enim hiemis multum processerat, et pecudes macie confectæ erant. Ormus Dufthakum convenit, et fœnum ab eo venum poposcit, ille vero se veno habere negavit. Cum autem Ormus vehementius instaret, concessit Dufthakus, ut fœni quantum ferre posset, si vellet, auferret: quod vobis usui esse potest, si ex tribulibus quisque tantundem contribuit. Exigua sane ista contributio est, ait Ormus, utendum tamen est ea; ubi vero sumendum? In septo fœnario, ait Dufthakus, stant duo fœni cumuli, unus quatuor, alter duos passus longus, lati duos aut supra, et fere totidem alti, satis ut puto densi; ex minore horum tibi sume. Prius domum redibo, ait Ormus, habenam petiturus. Sic facit, patrique rem nuntiat. Mendicabuli est, tantulum contribuere, ait Storolfus, neque pro hoc ullum pretium referet; rationis vero esse duco, ut ipse potius onus petam: plus enim ferre potero, quam tu. Non ita esto, ait Ormus, tantum enim datum est, quantum ego ferre possem. Agesis ergo, nitere, ignavio! ait Storolfus. Ormus discedens armarium promtuarium adit, denos sumit funes clitellarios, quos, circulis exsolutis, pro justa longitudine et crassitudine conjungit, ita ut ex denis unum faciat. Quo facto, Holtum transgreditur, septum fœnarium adit, effractaque apertura intrat, accedit ad cumulum majorem, cespites tectorios, et quod emarcuerat fœni, deruit; deinde cumulum, manibus innixus, imo solo relaxat,

subjectos funes circulis insinuat, molemque versat: tum, brachiis sub funes insertis, corpus admolitur oneri, idque in humeros elevat[1]; quidam vero dicunt, eum præ se minorem cumulum gestasse. Hoc onus domum Storolfshvolum portavit. Quo viso, paterfamilias, foris constitutus, admiratione rei afficitur, fatens se ipsum tantæ moli imparem fuisse; fœnum deinde in fœnile conditum, idem omnino complevit: quæ fœni copia pecudibus Storolfi tam bene suffecit, ut instante vere nullam pecudem mactaret. Et ex hoc tempore inter patrem et filium conjunctior, quam antea, necessitudo intercessit, quod Storolfus intelligebat, quantum Ormus alios homines præstaret. Dufthakus vero senex, post eadem die egressus, cum rei vestigia animadvertisset, et utrumque fœni cumulum abesse sensisset, neque restare quicquam, præterquam quod nulli erat usui, idque haud bene quidem tractatum, videret etiam Ormum e septo fœnario egressum et utrosque cumulos gestantem, tum magna eum cepit admiratio, quantum onus Ormus ferre posset. Subsequenti autem vere Dufthakus Hvolum se contulit, et ab Storolfo pretium fœni postulavit, neque postulata obtinuit, ipse vero fœnum non minoris æstimavit, quam sex vaccarum pretio. Qua ex causa diutinæ simultates graviaque odia, quemadmodum infra memorabitur, inter eum et Storolfum orta sunt.

Ormus et Storolfus vires suas experiuntur.

Cap. 4. Ormus, cum viginti annorum erat, ad comitia universalia, ut consueverat, equi-

1) h. l. exacte describitur modus onera portandi, etiamnum in Islandia usitatus, quod nunc vulgari sermone dicitur, *at bera í fötlum* (v. *fætlum*), i. e. funibus subalaribus onus portare.

tavit; tum comitia magno hominum numero frequentabantur. Interfuit comitiis cognatus Ormi, Thoralfus Skolmi filius ab Myrkaa, ex Hörgardalo in parte insulæ boreali; cum eo fuit vir, nomine Melkolfus[1], sex virorum robore præditus: hi omnes contubernales fuerunt Jörundi pontificis, affinis Ormi. Datæ fuerant Jörundo pontifici soleæ ferreæ, tantæ magnitudinis et massæ, ut (singulæ) sine clavis selibram penderent; hæ spectaculi gratia per tabernaculum circumlatæ cum ad Thoralfum venerunt, ille quatuor soleas in manus sumsit, invicemque conjunctas aliquamdiu tenuit, deinde Ormo dedit, omnes candelæ instar correctas. Accepit Ormus, et omnes quatuor soleas uno momento curvavit, ut prius fuerant; quod utrumque insigne visum est virium specimen. Eodem vero die, cum exirent, lebetem coquinarium, qui juxta ædiculam coquendæ cerevisiæ stabat, tria dolia capientem, arena compleverunt; quo facto, accedens Melkolfus, altera manu eum solo levavit; tum Thoralfus accedens, duobus digitis eum sustulit; poststremo accedens Ormus, digitum minimum ansæ inseruit, lebetemque talo tenus levavit, et manum confestim pallio insinuavit. Tum Thoralfus: age, ostende mihi digitum. Id quidem nolo, ait Ormus. Licuit mihi, ait Thoralfus, artus meos lædere, si voluissem; at nolui. Putabant vulgo homines, carnem et nervos penitus in ossa disruptos. Posthæc ex comitiis reditum est; Ormus domi quietus mansit. Quæ ediderat Ormus virium specimina, omnium laudibus celebrata sunt, eoque plura deinceps edidit, quo magis ætate provectus est. Quare inter omnes, tam amicos ejus, quam

[1]) Mækolfus, F ubique

inimicos, constat, eum omnibus Islandis, tam priscis, quam recentioribus, quibus quidem simplex natura humana fuerit, virium magnitudine prævaluisse.

De Asbjörne Elegante.

Cap. 5. Virvil[1] nomen fuit viro, qui oppido cuidam Daniæ præfuit, quo loco Vendilskagius dicitur. Fratres fuerunt Virvil et Vesetius de Borgundarholmo. Virvil uxorem duxerat, ex qua filium habuit, nomine Asbjörnem, mature magna statura et venustum, artiumque peritia bene instructum, quovis homine urbaniorem, quare Asbjörn Elegans appellatus est. Eo tempore moris fuit, ut feminæ, Volvæ[2] (vates) dictæ, regionem peragrarent, et hominibus fata, statum annonæ aliasque res, quas nosse cupiebant, prædicerent. Hæc turba ad Virvilem colonum pervenit, a quo vates liberaliter excepta est, nam lautissimum apparatum est convivium. Cum vero homines vespere sedes suas repetiverant, vates de oraculis consulitur; ea vero dixit, Virvilem colonum ibidem ad senectutem habitaturum, frugique rusticum æstimatum iri: adolescenti vero, qui tibi adsidet, paterfamilias, volupe erit, sua audire fata, nam multa loca obibit, et quo se loco plurimum continebit, eo loco plurimi æstimabitur, multasque res præclaras geret, et senio confectus morietur, si in provinciam Norvegiæ, Nordmœriam, aut longius inde versus boream, non perveniet. Puto, ait Asbjörn, me non ibi fato, quam hic, propiorem esse. Cui vates: non tui arbitrii erit, quæ agere cogitas, constituere; tum carmen ei excidit:

[1]) Virvil, cet. omn. ubique. [2]) Sunt, qui a *volvendo* declinent.

Etsi facias, per
æquora lata
currere navem
lateque feraris:
prope erit[1], ut a parte
boreali Moeriæ
oppetas mortem;
sed tacuisse[2] juvat.

Deinde vates ibi, quoad constitutum est, commorata, eximiis muneribus donata dimittitur. Interim adolevit Asbjörn; cum vero ad justam ætatem pervenisset, diversas terras mercaturæ gratia adiit, sicque mores aliorum hominum notos sibi fecit, et ab omnibus principibus magni æstimatus est. Mater ejus ex borealibus Norvegiæ partibus, Hördia et Nordmoeria, oriunda fuit, a genere Bifrukarii ortum ducens. Heic Asbjörn persæpe apud cognatos maternos versatus, magnique ob artes et naturæ dotes æstimatus est.

Ormus et Asbjörn Gothiam subigunt.

Cap. 6. Nunc eo redeundum, unde deflexit narratio: Ormus Storolfi filius in Islandia se continebat; et cum annum trigesimum attigerat, locum sibi conduxit in nave Özuris Hördici, qui navem in ripa Thjorsaënsi subductam habuit, et cum eo peregre profectus est. Fuit Özuri in Hördia prædium, ubi Ormus apud eum hiemem transegit. Eo tempore Asbjörn Elegans in Hördia se continebat; cum vero hic et Ormus sæpe convenirent, et alter alteri bene probaretur, brevi inter eos amicitia extitit; hi varia exercitationum genera experti, in omnibus, quæ quidem vires non postulabant, pares

[1]) *leggja*, positum erit, eod. sens. A, F, G, J, L. [2]) *þagna*, id. E, G, J, L.

fuerunt, virium autem magnitudine Ormus multum præstitit; eo res venit, ut prisco more mutuam jurarent amicitiam, ea lege, ut qui superviveret, alterius necem ulcisceretur, si ferro mortem oppetivisset. Insequenti vere Asbjörn Ormo significavit, se septemtrionem versus in Moeriam profecturum, ut cognatos suos, Eyvindum Anguem et Bergthorem Bestilem (Spartulum), conveniret: scire quoque aveo, inquit, an statim mihi vita excidat, simulatque eo venero, ut misera ista vates dixit. Ormus se ad hoc iter paratum ostendit: non vero mihi videris hac de re contendere posse; tales enim homines, qualis ea est, satis multa norunt. Deinde duabus navibus vecti in Mœriam pertendunt, ubi Eyvindus et Bergthor Asbjörnem cognatum suum perbene acceperunt: fuerunt enim consobrini. Hæc vergente ætate Hakonis Hladarum dynastæ acciderunt. Heic Asbjörn comperit, duas insulas borealem oram maritimam præjacere, utramque Saudeyam[1] (insulam ovium) dictam; harum exteriori virum Jötnicæ originis, nomine Brusium, præesse, giganteæ naturæ et humana carne vescentem, qui nunquam a viris simplici humana natura præditis, quotcunque numero essent, devinci posse vulgo exstimabatur; matrem vero ejus multo esse tractatu difficiliorem, quippe felem, carbonis instar atram, tanta magnitudine, quanta bobus sacris (altilibus) maxima esse possit; propter has pestes nulla commoda ex neutra insula ad incolas continentis posse redundare. Asbjörnem cupido cepit in insulas trajiciendi, Ormus vero dehortatus est, dicens, summæ esse difficultatis cum talibus hostibus negotia tractare; quare factum est, ut hæc profectio

[1] Sandeyam (insulam arenosam), F.

non confieret. Hac æstate austrum versus in Daniam cursum tenuerunt, et apud Virvilem[1] hiemem transegerunt. Elapsa vero hieme, cum ver incepisset, piraticæ exercendæ causa cum quinque navibus excurrebant, multasque insulas et scopulos exteriores[2] obibant, quacunque venissent, victoriam et opes reportantes. Quo tempore nemo fuit, qui in expeditionibus piraticis majorem gloriam adipisceretur. Cum vero processisset æstas, ad Gothlandiam appulerunt, ibique prædas egerunt; tum ei regioni præfuit dynasta, nomine Herrödus; hic multis commissis præliis, regionem in potestatem suam redegerunt, ibique tertiam hiemem traduxerunt, qua hieme lautas compotationes magnasque oblectationes agitabant. Die quodam hujus hiemis, cum Asbjörn et Ormus poculis adsiderent, Asbjörn hos versus cecinit:

Prædixit mihi incantans
idque jugiter cecinit (vates),
infausto pede me profecturum
septemtrionem versus in Mœriam.
Nihil (certi) fatidica novit:
adhuc cum viris versabor
lætus in imperio Gothorum;
prædictiones ejus exitu carent.

Vere sequente Ormus et Asbjörn, tædio regionis capti, reversi et proxima æstate boream versus in Daniam, indeque in Norvegiam profecti sunt, ubi quartam hiemem apud Özurem Hördicum egerunt. Insequenti autem vere, cum fratres jurati consilia conferrent, Asbjörn in piraticam excurrere, Ormus in Islandiam trajicere voluit: quare diversi discesserunt, familiarissime tamen et amicissime; Ormus in

[1]) Visilem, cet. [2]) promontoria exteriora, cet.

Islandiam cum Özure Hördico transmisit, prosperaque navigatione usus, navem in Leiruvogum infra montana appulit. Tum Ormus id novi comperit, senem Storolfum inter res cum Dufthakó agitatas mortem oppetivisse; cujus quidem mors paucis hominibus acerba fuit. Tum Ormus domum Storolfshvolum se contulit, ibique villicationem instituit, diuque ibi habitavit, postquam ne:em patris ultus erat, quemadmodum in Commentario de Islandis memoriæ proditum est.

De nece Asbjörnis.

Cap. 7. Paulo postquam Ormus et Asbjörn digressi sunt, Asbjörn cupiditate captus est boream versus in Saudeyas trajiciendi, naveque profectus viginti quatuor[1] viris instructa, cursum ad boreales Mœriæ tenet, seroque die navem ad Saudeyam exteriorem applicat; exscendunt, tentorium statuunt, ibique pernoctant, nihil novi animadvertentes. Primo mane surgit Asbjörn, vestes induit, arma capit et in terram exit, suis se præstolari jussis. Cum vero aliquantum temporis processerat, ex quo discesserat Asbjörn, animadvertunt, felem horrendam ostium tabernaculi ingressam, carbonis instar nigram, majorem in modum furiosam, nam visus est ignis ex naribus et ore ejus ardere, neque sane oculis pulcram. Quo viso perquam commoti, pavoreque perculsi sunt. Felis intro ad eos irrumpens, unum post alterum corripit, quos partim devorasse, partim ungvibus et dentibus discerpsisse dicitur; sic brevi temporis spatio viginti homines interfecit, tribus e tabernaculo elabentibus, qui navem nacti, continuo ab insula navigarunt. Asbjörn vero eo usque procedit, donec ad antrum

[1]) viginti tribus, E; viginti duobus, H.

Brusii pervenit, quo confestim intro se corripit; cui cum ingresso oculi obscuriore luce præstringerentur, antro umbrosiore, improviso sublimis rapitur et tanta vi solo alliditur, ut ipsi mirationem faceret; tum animadvertit, adesse Brusium Jötunem, immanioris vastitatis specie se ferentem. Tum Brusius: tu sane cupide elaborasti, ut huc pervenires; jam quoque faxo, ne frustra advenias, heic enim vitam tantis cruciatibus amittes, ut futurum sit, ut alii deterreantur, ne domum meam hostili aggressione visitent. Quo dicto Asbjörnem vestibus exuit, tantum enim inter illos fuit virium discrimen, ut Jötuni soli rem inter eos peragere licuerit. Asbjörn conspexit ingentem sepem ligneam per transversum antrum pertinentem, cui ingens foramen inerat; haud procul a sepe ingens ferrea columna stabat. Nunc experiendum est, ait Brusius, ecquid aliis hominibus fortitudine præstes. Hæc quidem exigua probabitur, ait Asbjörn, verum cecidit infeliciter, quod nullam defensionem præstare potui; quare vero simile est, me ultimis jam fatis agi; tum hos versus protulit:

Nemo sua potest
arte confidere,
quantumvis animosus
robustusve siet:
nempe die fatali
vires animusque
deficiunt quemvis,
fortuna deficiente.

Deinde Brusius, dissecto ventre Asbjörnis extremitatem intestinorum nactus, columnam ferream circumligavit; hic Asbjörnem circumduxit, qui nihil cunctatus circumiit, omnibus

intestinis ad finem se evolventibus. Inter hæc Asbjörn hos versus pronuntiavit:

Dicetur matri meæ:
non comet filii caput
cygni instar candida
hac æstate in Dania.
Ei pollicitus eram,
me domum rediturum;
nunc juvenile latus
acie ensis dissecabitur.

Prædico, res alio loco fuisse
quando sedimus, hilares cerevisia,
et celeri nave sinum
percurrimus ab Hördia:
mulsum bibimus, et multos
sermones habuimus olim;
nunc solus in arctas gigantum
angustias redactus sum.

Prædico, res alio loco fuisse,
cum una prægrandes fecimus iter;
ibi in prora celsus stetit
strenuus Storolfi gnatus,
cum naves longas direxit
heros ad Eyrasundum;
nunc ego, violata pacis fide,
gigantum habitacula lustro.

Prædico, res alio loco fuisse,
quando Ormus in procella bellonæ
processit, avido Geiteris
equo potum præbiturus.
Vir alacer multorum fortium
procera corpora lupo dedit
in caliginosa pugna, ad Ivæ
ostium, et acriter intulit ictus.

Prædico, res alio loco fuisse,
cum sudore perfuso agmini, inter
Gothalbicos scopulos ad austrum, intuli

ictus acuta Herjanis lamina[r];
Sæpe telum missile
Ormus dextere destinavit,
ubi potissimum fortes Midjungi
affines prostrati jacuere.
 Prædico res alio loco fuisse,
quando omnes una fuimus:
Gautus et Geirius,
Glumus et Starrius,
Samus et Semingus,
sati Oddvara,
Haukus et Hakius
Hrokus et Tokius.
 Prædico, res alio loco fuisse,
quando sæpe mare percurrimus:
Hranius et Högnius,
Hjalmus et Stefner,
Granius et Gunnar,
Grimus et Sörkver,
Tumius et Torfius,
Teitus et Geiter.
 Prædico, res alio loco fuisse,
cum minime pepercimus nobis
in simultanea gladiorum strictione;
raro dehortatus fui,
ut acuta tela, loricæ noxia,
viros morderent acriter;
tamen Ormus in prælio
semper eorum dux fuit.
 Frontem profecto
Ormus contraheret,
si hunc cruciatum
aspicere liceret,
et crudeliter
gigantem ulcisceretur

r) *túngu*] *tuggu* A, E, G, I, L, M. ɔ: corrosore, vel pro *tjúgu*, furca.

nostram tractationem
certe, si posset.
Deinde Asbjörn, magna fortitudine et virilis animi magnitudine exhibita, exspiravit.

Ormus Mengladam in Saudeya convenit.

Cap. 8. Sed illuc redeamus: tres illi viri, qui salvi evaserant, remigationem summo studio urgebant, non prius desistentes, quam terram tenuissent; quæ in itinere suo gesta erant, retulerunt, dicentes putare se, Asbjörnem mortuum, sed quo pacto periisset, nescire. Iidem, conducto in nave mercatoria loco, austrum versus in Daniam transvecti sunt. Sic hæ res fama passim divulgatæ, magnam habuerunt admirationem. Tum facta erat in Norvegia principum mutatio, mortuo Hakone dynasta, Olavo Tryggvii filio in regnum reverso, qui omnibus veram religionem injunxit. Ormus Storolfi filius, fama in Islandiam perlata, accepit de itinere et nece Asbjörnis, quæ vulgo certa credebatur; in quo magnum se damnum fecisse existimans, tædio captus est diutius in Islandia commorandi, quare conducta in Reydarfjördo vectura, peregre profectus est, et borealem Norvegiæ partem tenuit, hiememque in Thrandheimo traduxit; tum rex Olavus tres hiemes Norvegiæ præfuerat. Sequenti vere Ormus apparabat, nave trajicere in Saudeyas, tot hominibus comitatus, quot Asbjörn fuerat. Sero vespere ad Saudeyam minorem appulerunt, tentoria in terra posuerunt, ibique pernoctarunt. Dicunt, Ormum in Dania prima signatione initiatum, in Islandia vero christianæ religioni nomen dedisse. Qui cum obdormiverat, vidit feminam tabernaculum ingredientem magna statura, vultu strenuitatis indice, bene vestita, forma pulcra, hæc intro ivit ad eum locum,

quo jacebat Ormus, ibique adstitit. Visus est sibi Ormus eam salutare et de nomine quærere, ea vero se Mengladam vocari fassa est, filiam Ofotanis ab septemtrione ex Ofotansfjördo: ego ac Brusius eodem patre nati sumus, mihi vero mater fuit humanæ originis, ejus autem mater est felis illa carbonis instar atra, quæ ibi apud eum in antro versatur; qui etsi cognatione propinqui sumus, tamen ingenio sumus dissimiles. Ille insulæ exteriori, quæ multo quidem est melior, præest, mihique malam præbet vicinitatem, ut futurum putem, ut aufugiam hinc. Causam quoque adventus tui scio, scilicet cogitas necem ulcisci Asbjörnis, fratris tui jurati, quod quidem minime in vitio est, nam fortis viri necem vindicandam habes; in curiositate es quoque, credo, quo pacto ad mortem datus sit, quam rem, præter Brusium et me, pauci, puto, referre poterunt. Tum rem exorsa, cum de morte Asbjörnis singula exposuisset, recitatis omnibus, quos cecinerat, versibus: ego vero, inquit, non mihi videor posse internoscere, utra prævaleant, furorne giganteus Brusii ac matris, an fortuna tua, sed neminem hominem timet, præter te solum; quare cautionem adhibuit, te venientem aversurus: saxum enim admolitus est ostio antri, ut nihil in antrum ingredi possit, dum ibi restat; etsi autem robore vales, tamen vires tibi non sunt Brusio excipiendo pares, saxove amoliendo. Jam heic manicæ sunt, quas tibi donare volo, ejus naturæ, ut qui eas manibus induxerit, hunc vires nunquam deficiant. Quod si res ita cadet, ut Brusium devincas, optarim, ut Saudeyam in potestatem meam tradas, tibi vero præsidio ero, nam carus mihi es, etsi mutua consuetudine frui non possimus ob fidem tuam. Deinde mu-

lier e conspectu ablata est, Ormus vero evigilavit, manicas reperit et versus omnes memoria tenuit. Tum Ormus surrexit, suos excitavit, cursumque ad insulam exteriorem direxit; hic in terram escendit, suosque jussit, ut navi se præstolarentur usque ad idem tempus sequentis diei; sin vero tum rediisset, reverterentur.

Cædes Brusii.

Cap. 9. Nunc Ormus procedit, donec ad antrum pervenit, ubi ingens illud saxum conspicit, quod amovere nemini homini possibile judicavit. Tamen manicas a Menglada datas manibus inducit, saxum pertractat, et ab ostio amovet: quo non aliud insignius virium specimen se edidisse Ormus judicavit; quo facto antrum intrat, posito in aditu ferro characteribus notato[1]; ingressus autem vidit felem, aperto rostro ruentem. Ormus secum habuit arcum et pharetram, tum sagittam[2] nervo applicat, et tres sagittas in felem jaculatus est, quas omnes rostro volantes intercepit et dentibus comminuit; quo facto se ad Ormum proripit, et adverso corpori ungves incutit, ut Ormus se in-

[1]) de magica vi *τϑ málajárn*, cfr. Hervs. p. 8, forte et ejusd. hist. Cap. 7, stroph. 19, lectioni *"gröfnum geiri ok með góta málmi,"* præferenda sit var. lect. *"gröfnum geiri góta málum* ɔ: gladio gothicis characteribus insculpto. Ceterum de voce *mál*, vide *Krakas Maal, udgivet af C. C. Rafn, Phil. Dr. Khavn* 1826, pag. 91-95, ubi omnes *τϑ mál* notiones collectæ et excussæ sunt. Huc adde: Hkr, hist. Ol. Sancti C. 132: *þat var málaspjót, ok eigi mikit, ok gullrekinn falrinn á;* Sturl. Libr. 6. Cap. 17: *Sturla varðist med spjóti því, er Grásíða hèt — þat var stórt málaspjót fornt ok ekki mjök stinnt*, ex quibus locis apparet, *τo mál* certam longitudinem non respicere. Tertius locus est Vit. G. Surssonii, ed. Hol. 8vo, pag. 140: *nú eru tekin Grásíðu brot —, gerir þorgrímr þaraf spjót — mál var í, ok fært í hepti spannur lángt.* [2]) sagittas, E, G, I, L, M.

curvaret, ungves vero diruptis vestibus penitus in ossa penetrarent; tum ea faciem Ormi præmordere parabat, ille autem de salute desperans, ipsum deum et sanctum Petrum apostolum invocat, vovens, si felem et Brusium filium profligavisset, se Romam iturum. Deinde sentiens Ormus vires felis minui, altera manu fauces ejus, altera tergum comprehendit, supinam agit, et tergum diffringit, sicque mortuam relinquit. Tum Ormus sepem videt per transversum antrum pertinentem, quo intro se confert; quo cum venisset, videt spiculum ingens, et crassum et longum, per sepem agi; quod Ormus manu correptum declinavit. Brusius, cum spiculum ad se retrahere vellet, sentiens, fixum hærere, ut nullo modo reduci posset, admiratione captus, supra sepem prospectavit; quod videns Ormus, barbam Brusii utraque manu apprehendit, Brusio altera parte obnitente; sicque utrique ab utroque sepis latere obstinate reluctantur. Ormus manum barba circumplicaverat, eamque tanta vi attraxit, ut totum barbæ locum, mentum, utrasque malas et pulpam genarum, aurium tenus, penitus in ossa carne denudaret. Tum Brusius, demissis superciliis, faciem torvum distorquebat. Ormus sepem transilit; invi em complexi diu colluctantur; Brusius, profluente sangvine fatigatus, cum cedere cœpisset, Ormus vehementius instans, adversarium ad sepem repellit, ibique recline tergum confringit. Jam pridem animus mihi præsagivit, ait Brusius, cum de te fama ad aures meas pervenit, te negotium aliquod mihi facessiturum, quod quoque nunc evenit; jam enim rem cito conficies, et caput mihi præcides. Verum enimvero Asbjörnem gravibus adfeci cruciatibus, cum omnia ejus

intestina evolverem, quos ille ad extremam usque necem contemsit. Male hoc fecisti, ait Ormus, quod tam fortem virum tantopere cruciavisti, cujus quoque nunc aliqua referes monimenta. Tum stricto cultro aquilam sangvineam tergo ejus incidit, omnes costas a tergo abscindens, eaque pulmones extrahens. Sic Brusius vitam amisit, parva exhibita fortitudine. Deinde Ormus subjecto igne Brusium et felem in cineres combussit; quo administrato, ex antro duas arcas, auro argentoque plenas, secum tulit, quod superfuit rerum pretiosarum, et insulam in potestatem Mengladæ tradidit. His deinde amicissime digressis, Ormus ad suos tempore præstituto pervenit; deinde ad continentem revehuntur. Ormus alteram hiemem in Thrandheimo se continuit.

De Ormo et Eiriko.

Cap. 10. Sequenti æstate Ormus iter Romam ingressus est, qua peregrinatione feliciter defunctus, ab austro in Daniam reversus est autumno, post prælium Svöldricum, resque ibi gestas comperit. Tum in Norvegiam ad Eirikum dynastam se contulit, eum Hladis convenit, adiensque salutavit. Dynasta eum comiter excipiens, de nomine quæsivit. Ille se Ormum vocari dixit. Dynasta: an tu Ormus robustus es? Sic me appelles, licet, domine, si placet; ea vero de causa huc adfui, quod hiberno apud te hospitio uti volui. Dynasta hoc in promtu fore dixit, eique sedem in scamni superioris[1] parte exteriore designavit. Ormus se per hiemem paucis rebus immiscuit, alienisque negotiis abstinuit. Aliquando, cum de prælio Svöldrico sermo haberetur, et quam strenue athletæ regis Olavi se defendissent, et

1) inferioris, cet. omn.

quam sero Serpens expugnatus fuisset, quamque acrem oppugnationem Eirikus dynasta fecisset, quod navem expugnavisset, quam aperto mari nunquam expugnatam fore homines putavissent; Ormus respondit: serius Serpens Longus expugnatus fuisset, si ego cum aliis athletis regiis ibi adfuissem. Allatum est dynastæ, jactasse Ormum, si ipse rei interfuisset, futurum nunquam fuisse, ut expugnatus esset Serpens Longus. Dynasta Ormum ad se arcessi jubet, et quærit, an affirmasset, Serpentem nunquam expugnatum fore, si ibi adfuisset. Haud ita est, domine, ait Ormus, illud vero dixi, serius expugnatum fore Serpentem, si ibi adfuissem. Dynasta respondit: exiguum, credo, fuerit unius viri momentum, ubi tot tantique excellentes viri delecti convenerunt; tamen tentamen aliquod instituendum est: te in una nave constitutum quindecim cursoriæ oppugnanto, quod quidem nonnisi exigua pars est navalium copiarum, ad Svöldram confligentium. Res tui arbitrii esto, domine, ait Ormus, ego vero prius non succumbam, quam penitus fuero devictus. Tum exit Ormus, unumque vectem[1] sumit, crassum, tredecim ulnas longum. Deinde navem conscendit, et a terra solvit; mox viri, quindecim cursoriis vecti, Ormum oppugnaverunt, dicitur autem Ormus, parvo temporis momento, septem cursorias partim percutiendo submersisse, partim collisisse et confregisse. Tum dynasta eos inclamans hoc ludo desistere jussit: sic factum; plerique omnes homines servati. Deinde dynasta sexaginta viros jussit in aperto campo Or-

[1]) *berlings*] *berlýngs* G, I, perp. *birðings*, Sk, glossa, cfr. Svec. *Barling*, vectis, quo aliquid portatur, et *Balling* in lex. Danico, ed: curante Societate Scient. Tom. I. Havn. 1793.

mum oppugnare; quod et factum est. Ormus, præter vectem, nihil armorum habuit; quem turbinis instar tanta vi circumegit, ut nemo propius accedere sustineret, certam enim mortem prævidebant, si quem vectis tetigisset. Dynasta eos hoc quoque ludo desistere jussit, quod et factum est. Tum dynasta: haud, credo, nimis de te prædicatum est, Serpentem Longum, te ibi constituto, serius expugnatum fore: nunquam enim expugnatus fuisset, si ibi ad defensionem præsto fuisses. Deinde Ormus inter aulicos receptus, cum Eiriko dynasta versatus est, eique ob insignem virium excellentiam carissimus fuit.

Ormus Gimsas ad Einarem pervenit.

Cap. 11. Aliquando cum Ormus amicos visum iret, quo loco prius in Trandheimo fuerat, via ita ferente Gimsas pervenit; aderat domi suæ Einar, eo tempore in æde sacra constitutus, arcus vero ejus extra fores templi positus erat. Accessit Ormus, arcum sustulit, sagittam nervo aptavit, eamque intra cornu retraxit, et sic sagittam in arcu fixam stare fecit; deinde, deposito arcu, abiit. Einar egressus, cum videret, ut arcus suus tractatus esset, magnopere miratus est et quæsivit, quis arcum suum tractavisset; cujus diu certior non factus est, antequam ipse Ormus ei rem indicaret. Einar se quoque suspicatum ostendit, ignavionem non fuisse, qui cuspidem sagittæ intra cornu arcus sui retraxisset. Eirikum dynastam convivia ad orientem in Vikia obeuntem Ormus comitatus est; cum vero eo venissent, quo loco Serpens Longus excisus fuerat, dynasta suos jussit experiri, quot homines arbori mali, ibi jacenti, subire opus haberent, ut in humeros attollere possent: Ormo vero locum sub media

arbore designavit. [Sexaginta viri arborem sustulerunt[1]; quo facto dynasta singulos jussit unum post alterum cuique extremitati se subtrahere: quod factum est, donec Ormus solus arborem sustinuit; quam ille tum gestans, tres pedes processit, et deinde deposuit; quo facto Ormus idem atque antea virium robur nunquam recuperasse dicitur. Hic postquam apud dynastam aliquot hiemes versatus fuerat, in Islandiam rediit, atque rem familiarem Storolfshvoli capessivit, usquequaque vir excellentissimus habitus; idem senectute diem obiit, et religioni, quam professus fuerat, constanter adhæsit.

1) omitt. cet.

Excursus
de poëta Hallarsteine, et carmine ab eo in honorem regis Olavi Tryggvii f. composito.

Cap. 1. Nomen *Hallarsteinn* nusquam citatum reperio, præterquam in Codice *A* et huic consimili Cod. *B*, secundum quos Societas Antiqu. Sept. historiam Olavi Tryggvidæ typis excudendam curavit, nec non in Edda Snorriana, et Heimskringla (de qua citatione infra c. 6 dicetur). In solo codice Byrgeriano hoc nomen scriptum legitur *Hallasteinar*. Nomen ejus fuit *Steinn* (*Fornm.* Vol. 2 cap. 250-251, Edd. Snorr. p. 157), dictus vero est *Hallarsteinn*, ɔ: Stein aulæ v. aulicus (ab *höll*, gen. *hallar*, aula), quod in aula regia diu vixit, vel quod aúlicus poëta fuit. Non enim inusitatum fuit veteribus, nomen rei, cui quis magnam curam gerere, aut loci, ubi quis se continere amavit, nominibus propriis præfigere, ut videre est ex nominibus *Stafngrímr, Hofkolli, Hofhallr.*

Cap. 2. Primo afferam fragmenta quædam, quæ *Hallarsteini* auctori tribuit Edda Snorriana. Hæc fragmenta pertinent ad carmen aliquod eroticum, artificiose compositum, satis intricata vocum structura, et appellationibus poëticis longius petitis; in quo captum se pul-

critudine feminæ cujusdam poëta testatur his verbis:

Hólm-leggjar viðr hilmir
hring-sköglar mik þöglan.

i. e. Color feminæ, annulo ornatæ,
me reddit elinguem[1].

Amorem suum memoremque animum poëta his verbis significat:

Sval-teigar mun selju
salts Viðblinda galtar
raf-kastandi rastar
reyr þvengs muna lengi.

i. e. Ille ego, qui electrum projicio salsi frigidi æquoris,
ubi aper Vidblindii (cetus) ludere amat,
perpeti memoria retinebo feminam,
sylvestris lori solo (auro) conspicuam[2].

Sed videtur poëta ab amica non fuisse redamatus, saltem ei objicere videtur femineæ indolis inconstantiam:

Þú munt furs sem fleiri
flóðs hirði-sif tróður
grönn við gæfu þinni
grjóts Hjaðninga brjótast.

i. e. Tu, diva tenera, ignis fluvialis
custos, fortunæ resistes tuæ,

---

1) Edd. Snorr. Holmiæ ed. Er. Chr. Raskius, pag. 319. Ordo: *Hólm-leggjar hilmir hring-sköglar viðr* (i. e. *vinnr*) *mik þöglan.* Vide J. Olavii tractatum *Nordens gamle Digtekonst*, pag. 95. Njalæ Vers. lat. pag. 595, not.

2) Edd. Snorr. p. 166. Ordo, quem h. l. admittit Edda, talis est: *kastandi reyr-þvengs rastar mun lengi muna salts Viðblinda galtar sval-teigar ráf-selju.* Quem quoque ordinem J. Olavius, in tractatu supra laudato p. 159, sequitur. Ego sic in ordinem redegi: *Salts Viðblinda galtar sval-teigar raf-kastandi mun lengi muna selju reyr-þvengs rastar.*

ut plures facere solent saxorum
Hjediniorum (armorum) servatrices[1].

Denique, absoluto hoc carmine erotico, mirè sibi poëta placuisse videtur:

Ek hefi óðar lokri
öl stafna þèr skafna
væn mörk skála verki
vandr stef knarrar branda.

i. e. Venusta femina, pocula ministrans cerevisiæ! ego, opere faciundo adsvetus, poëseos planulâ polivi tibi versuum intercalarium ædificii fastigia[2].

Præter hæc, in Eddæ Snorrianæ recensione, quam habuit Pastor eccl. Laufasensis, Magnus Olavius, ut ex collatione Jonis Grunnavikensis videre licet, duæ semistrophæ Hallarsteini auctori tribuuntur, metro bitremulo maximam partem confectæ, et prælium aliquod terrestre describentes. Quæ hoc modo citentur:

Steinn heitir sól, eðr birti, eðr prýði skipa

---

1) Edd. Snorr. p. 157. Ordo: *þú, grönn flóðs furs hirði-sif! munt brjótast við gæfu þinni, sem fleiri tróður* (Cod. Reg. *tróðar*, al. *tróður*) *Hjaðnínga grjóts.*

2) Edd. Snorr. p. 157. Ordo: *Væn öl-skála mörk! ek, vandr verki, hefi skafna þèr, (með) óðar lokri, stafna stef-branda-knarrar.* Eadem pagina affert Skalda semistropham, Steinare quodam auctore, quam ob materiæ nominisque similitudinem hic afferre libet, secundum Codicem Wormianum:

Mens hafa mildrar Synjar
mjúk-stalls logit allir
sjá höfumk velti-stoð stiltan
straum-túngls at mèr draumar.

hoc ordine: *allir draumar mildrar Synjar mens mjúkstalls hafa logit at mèr: sjá velti-stoð straum-túngls höfumk stiltan*, ɔ: omnia somnia liberalis divæ, cujus mollis dextera annulo ornatur, me frustrata sunt: hæc femina, lunam fluviatilem volvens (aureas lunulas gestans), decepit me.

eða bóka: því bókstafir eru lýstir, en skip steind; sem Hallarsteinn kvað:

Hart fló hvast um snertu
hregg-magnaðist bragna
bókar sól þar-er búkar
benvargs hnigu margir[1].

Foldar negg, sem enn kvað hann:

Flaug en firna bjúgir
foldar negg at seggjum
fjarð-elds fleygi-nirðir
fèllu skjótt at velli[2].

Id est: Lapis appellatur sol, aut splendor, aut ornatus navium aut librorum: nam literæ sunt coloratæ, naves vero pigmento ornatæ; quemadmodum cecinit Hallarstein:

Aspera incruduit procella:
celeriter volavit libri sol (lapis)
in impetu feræ vulnificæ (teli), ubi
multa corpora virorum cecidere.

Terræ cor, ut idem porro cecinit:

Cor terræ (lapis) advolavit
viris, sed valde incurvi
missores ignis marini
humi subito ciciderunt.

§. 3. Carmen, ab Hallarsteine in honorem regis Olavi Tryggvii filii compositum, cujus magnam partem exhibet historia Olavi Tryggvidæ[3], qualem hæc nostra recensio sistit, integrum extat in codice Byrgeriano, quem

---

[1]) Ordo: *Hvast hregg magnaðist; bókar sól fló hàrt um benvargs snertu, þar er margir búkar bragna hnigu.*

[2]) Ordo: *Foldar negg flaug at seggjum, en fleygi-nirðir fjarð-elds fèllu skjótt firna bjúgir at velli.*

[3]) *Fornm.* Vol. 2, pag. 314, stropha, *Varð um Vinda myrði,* quam Cod. *B* Hallarsteini tribuit, secundum Codd. *C. F.* Hallfredo tribuenda est.

asservat Regia Bibliotheca Holmiana. Hoc carmen sub duplici nomine occurrit, ɔ: *Rekstefja (Fornm.* Vol. I, p. 100. 105, it. ipsius carminis str. 1) et *Olafsdrápa tvískœlda (Fornm.* Vol. 2, p. 310, carminis str. 35 *tvískelfd drápa*). Prius nomen, *Rekstefja*, ad rationem versuum intercalarium spectat. Quæ ut melius intelligatur, pauca videntur in specie afferenda de usu veterum poëtarum in adhibendis versibus intercalaribus. De versibus intercalaribus vide quæ generatim disputarunt viri doctissimi, J. Olavius (*Nordens gamle Digtekonst*, Hafn. 1786, pag. 140-147) et Er. Chr. Raskius (*Anvisning til Isländskan*, Holmiæ 1818, p. 269, §. 508-509). Duo genera sunt versuum intercalarium: alii sunt *conjuncti*, alii *disjuncti*. Versus intercalares *conjuncti* sunt duo vel quatuor versus, qui invicem juxta positi plenam sententiam efficiunt: duo, ut in *Höfuðlausn*, „*Orðstír of gat, Eiríkr at* þat," et „*Bauð úlfum hræ, Eiríkr um sæ*;" quatuor, ut in Radio, in honorem Olavi Sancti composito; versus autem intercalares posse integram stropham occupare, per se patet. Versus intercalares *disjuncti* sunt vel *bipartiti*, vel *tripartiti*, vel *quadripartiti*, cum duo, vel tres, vel quatuor versus singuli certis stropharum versibus intermiscentur, invicemque cohærentes nullum cum ceteris versibus nexum significationis habent. 1) *Bipartiti* occurrunt in *Knútsdrápa*, certo interjecto stropharum numero, e. gr. „*Knutr er und himnum — Höfuðfremstr jöfur* (OH. c. 155, 1. 157, 1. 159, 1. 2. Knytl. c. 17, 1.); quod non observatum est ab J. Olavio (*Nord. g. Digtek.* c. 5. §. 11). 2) *Tripartiti* bifariam occurrunt: primo, in fine prioris semistrophæ; hi versus intercalares appellantur *Klofastef*, quod

mediæ strophæ inseruntur quartique versus vicem præstant, vide Sturlæorum historiam, Libr. 4, pag. 56, ubi tres tales versus intercalares medii (*Klofastef*) afferuntur: „*Harðmúla varð Skúli*" — „*Rambliks framar miklu*" — „*Gnaphjarls skapaðr jarla*," qui versus intercalares singuli singulis strophis interjecti sunt, ut ex sequenti parodia: „*oss lízt illr at kyssa*" apparet. Secundo, in fine posterioris semistrophæ; quæ ratio versuum intercalarium apud Nostrum obtinet. Hic enim tres versus intercalares dominantur: „*Hann var ríkstr konúngmanna*" — „*Olafr und veg sólar*" — „*Höll ok fremstr at öllu*," qui versus disjuncti sic cohærent: *Hann Olafr var ríkstr konúngmanna ok fremstr at öllu und veg-sólar höll*, i. e. Olavus ille fuit regum potentissimus et omni parte præstantissimus sub augusti (splendidi) solis aula, ɔ: sub cœlo, in terris. Quoniam vero hi singuli versus singularum stropharum fini adjiciuntur, puto tales versus intercalatos appellari *rekstef*, qs. versus intercalares finales, quemadmodum *klofastef* dicti sunt versus intercalares medii, et carmen, in quo talis sit versuum intercalarium ratio, *rekstefju* (Rekstefjam). Eandem, ac Noster, rationem versuum intercalarium adhibet poëta Stein Herdisæ filius in sua Olaviade, in qua versus intercalares finales tripartiti dominantur: „*Olafr borinn sólu*" — „*Ríklundaðr veit undir*" — „*Sik beztan gram miklu*," hoc ordine: *Ríklundaðr Olafr veit sik borinn miklu beztan gram undir sólu*, ɔ: Magnanimus Olavus novit se natum regem multo optimum sub sole (in terris). Quam rationem versuum intercalarium ab Interpretibus Heimskringlæ non observatam puto. 3) *Quadripartiti* etiam duplici modo occur-

runt: primo, quando ponuntur in fine utriusque semistrophæ (i. e. in versu strophæ quarto et octavo), ut in *Bandadrápa*, quod alio loco adnotavi (Script. Hist. Isl. Vol. 2, p. 273-274); quod non observavit J. Olavius (*Nord. g. Digtek.* cap. 5 §. 14). Secundo, quando ponuntur in initio et fine utriusque semistrophæ (i. e. in versu primo, quarto, quinto et octavo), ut in Jomiade (*Jómsvíkíngadrápa*), vide *Fornm.* Vol. 11, pag. 167-173.

§. 4. Alterum nomen est *Olafsdrápa tvískœlda*. De lectione *tvískœldr* quid senserim, supra quidem (Vol. 2, pag. 296-297) dicere præoccupavi, ubi de duobus metri generibus, *skjálfhendt* et *tvískelft*, pauca attuli. Cum vero in Codice Byrgeriano hoc carmen diserte appelletur *tvískelfd drápa* (carmen intercalatum bitremulum), nunc non dubito hanc lectionem præferre, cum ex ea explicari possint ceteræ lectiones, *tvískœldr* et *tvískeldr*, ɔ: per syncopen τϑ *f*, cum epenthesis τϑ *f* cum ceteris lectionibus conciliari nequeat. Tum vero quæstio oritur, quomodo hæc appellatio conciliari possit cum regulis Eddæ Snorrianæ, quæ distingvit inter metrum tremulum et bitremulum; nam, si carmen secundum regulas Eddicas examinas, multo plures reperies versus tremulos, quam bitremulos, ut hanc denominationem ex parte potiori non factam esse intelligas. Sed consideremus perexiguum illud discrimen, quod, Edda docente, interest inter hæc metri genera: in metro bitremulo syllaba metrica prior primam syllabam versus occupat, in tremulo, secundam. En totum! Hæc utraque variatio primitus ad metrum tremulum pertinuisse videtur, et jure quidem; pertinuit quoque seculo undecimo, quo hoc

nostrum carmen compositum est, sed cum utrumque variationis genus conjungebatur, dictum est *tvískelft*, qs. duplici modo tremulum. Sed jam seculo decimo tertio hæ duæ variationes ejusdem metri generis subtilius distingui cœperunt, ita ut altera proprio nomine appellaretur *skjálfhendt*, altera *tvískelft*. Nempe accidit hic, quod sæpe usu venit, ut distinxerit posteritas, quod antiquitas conjunxit. Cæterum, quod in hoc metri genere proprium deprehenditur, hoc est: cum Eddicæ regulæ postulare videantur, ut duæ primæ syllabæ versuum imparium sint duo monosyllaba, aut dissyllabum compositum (quod et poëta noster plurimis locis observat), interdum in Rekstefja hoc loco dissyllaba non composita reperies, v. c. non solum *blódaygr, heiðinn, mœríngs, ekkils, Hyrníngs, döglíngr, annarr, þengill,* sed et *háttu, síðan, eigi*; sed in his vocibus syllaba metrica nunquam in secundam, sed semper in primam rejicitur, excepto *hildíngr* et *hildíng* (str. 23, 2. 28, 1), ubi ob positionem ferri posse videtur. Quod autem in versibus paribus interdum adhibet poëta syllabas metricas impares (*skothendíngar*), e. gr. str. 4, 8. 6, 6. 8, 6. 12, 2. 29, 4, hoc commune ei est cum aliis poëtis, et ad licentiam poëticam referendum videtur.

§. 5. Quod ad indolem carminum, ab Hallarsteine compositorum, attinet, in carmine erotico videtur fuisse in tropis adhibendis audacior, in Rekstefja simplex et æquabilis, plerumque narrativo, interdum descriptivo orationis genere utens; in narratione talis, qui tradita referat, fatens, se fama res accepisse (str. 5, 10, 26, 28, 29), ætate quidem rebus gestis inferior (str. 28), non tamen a temporibus cantatis mag-

nopere remotus (str. 25), ut a testibus, illorum temporum æqualibus, narrationes suas hausisse videatur.

§. 6. De auctore Rekstefjæ non consentiunt scriptores; hac de re in duas partes abeunt: nostri Codicis recensio, quo et proxime accedit Codex Byrgerianus, eam ad Hallarsteinem auctorem refert, contra recensio Codicis Flateyensis eandem Marko Skeggii filio vindicat. Frustra erit, testimonium alterutri harum sententiarum petere ex historia Olavi *primi*, qualem exhibet Snorrii Heimskringla, in cujus cap. 21 citatur Hallarstein, et mox eodem cap. Markus. Skeggii f. et Rekstefja. Nam, in priore loco, verba: „*svo segir Hallarsteinn*" et sequentem stropham omnes Codd., præter Frisianum, nesciunt, neque metri ratio patitur, ut hanc stropham ad Rekstefjam (quam præterea integram esse putamus) referamus. In posteriore loco, verba: „*svo segir Markús Skeggjason í Rekstefju*" inserta sunt ab Editoribus ex Codice Flateyensi, et sequentem stropham nullus Codex Heimskringlæ habet, præter exemplar Peringskjoldianum. Etsi autem non dubito, posthabito Codice Flateyensi, auctoritatem Codicis nostri hac in re sequi, tum ob ætatem hujus recensionis, cum probabile sit, eam Flateyensi esse toto seculo superiorem, tum ob accedens Byrgeriani Codicis testimonium: tamen hoc valde memorabile est, quod Codex Flateyensis, seculo decimo quarto conscriptus, idem carmen ad Markum Skeggii filium, qui seculo undecimo floruit, refert, idemque adeo supra trecentos annos evehit. Quæ tempora cum accuratè incidant in ætatem Steinis Herdisæ filii, operæ pretium duxi nonnulla afferre argumenta, quæ probabile facerent, per Hallarsteinem intelligi Steinem Herdisæ filium. Quod si ita est, concin-

nator Codicis Flateyensis nil fecit, nisi poëtas uno tempore florentes confudit, incertum qua causa, sive errore, sive auctoritatem alicujus scripti secutus.

§. 7. Haud pauca in hoc carmine momenta occurrunt, quæ non levem antiquitatem prodere videantur. Dicit poëta in duabus postremis strophis, multos composuisse de rege Olavo Tryggvii filio carmina breviora non intercalata (*flokka*), Hallfredum vero et Bjarnium, seque tertium carmina longiora et intercalata (*drápur*) de eo pepegisse. Vix dubium est, hunc Hallfredum esse celeberrimum poëtam Hallfredum *Vandrædaskáld*; quis vero Bjarnius ille fuerit, haud adeo liquidum est. Cum vero Catalogus Poëtarum (*Skáldatal*), editus a Petro Undalino ad calcem Chronicorum regum Norvegiæ, Havn. 1633 (cfr. Hist. Reg. Norveg. ed. Havn. Tom. III, Præfat. pag. 32) duos tantum afferat poëtas regis Olavi Primi, nempe Hallfredum *Vandrædaskáld* et Bjarnium *Skáld*, facile mihi persvadeo, Bjarnium Hallfredo fuisse æqualem; quanquam fateor, hunc Poëtarum Catalogum hic illic suis laborare vitiis. Forte hic Bjarnius, quem Catalogus iste *κατ᾽ ἐξοχὴν skáld* (poëtam) appellat, idem sit ac Bjarnius ille, de quo mentio fit in Islandiade (*Islendíngadrápa*), quam auctori Höko Valdisæ filio adscribit membrana legati Arna-Magnæani No. 748, stropha 16:

Fríðu fylgi meiðar
flaustir einkar hraustum
so var vapnrjóði Viðars
verðr gjarn hugar Bjarni:
þá er Hákonar hæfis
haus enn gegðarlausi

d'jarls nasar ása-
öl-beinir laust fleini.

Quanquam prior semistropha, in qua fortitudinem et animositatem Bjarnii in commune laudat poëta, in mendo cubare videatur, altera tamen haud obscurè indicat, Hakonem dynastam (qui vix alius esse potest, quam dynasta Hakon Sigurdi filius) ab hoc Bjarnio cornu vapulasse, eundemque Bjarnium poëtam appellari. Quod si ita est, confirmari videtur hoc modo ea assertio, quod Bjarnius poëta æqualis fuerit Hallfredo Difficili-poëtæ. Cum vero poëta Noster, in stropha carminis ultima, se cum his nominibus comparet, et poëma suum haud admodum humile (*eigi einkar lága drápu*) appellet, et exquisitiori rariorique metri genere compositum esse prædicet, haud sine ratione statuendum putaverim, eum a temporibus Hallfredi et Bjarnii non multum abfuisse. Idem indicat ea comparatio, quam poëta instituere videtur inter regem Olavum et suæ ætatis homines, stropha 25, dum artem per remos incedendi simulque gladiolis ludendi æqualibus non abjudicat, sed paucos in ea excellere testatur; quod testimonium cum in Norvegos potius quam in Islandos quadret, sumendum esse videtur, et poëtam non multo inferiorem fuisse temporibus Olavi primi, et eundem in Norvegia diu vixisse. Quæ vero in narratione propria, huc facientia, continet, hæc sunt: str. 5, memorat, quomodo Olavus in terris occidentalibus cædem paternam vindicaverit; quam narrationem hoc solo loco occurrere puto. Eo tempore duo tantum superstites erant Eriki Blodöxæ filii, Ragnfrödus et Gudrödus, in terris occidentalibus (Anglia, Hibernia, Scotia et adjacentibus insulis) piraticam exercentes, quo-

rum hic patrem Olavi, Tryggvium fraude circumventum oppresserat; de Ragnfrödo nulla mentio fit post ejus in Norvegiam invasionem sub Hakone dynasta, et quidem decessisse videtur, antequam Gudrödus Norvegiam invasit sub rege Olavo, cum in hac expeditione ejus nulla fiat mentio. Quare putaverim, Olavum, jam pridem de patris interfectoribus certiorem factum, Gunnhildiadas in Britannia degentes persecutum fuisse, his cladem aliquam intulisse, vel etiam Ragnfrödum interfecisse. Forte et hanc cladem, aut fratris necem ulturus Gudrödus anno 999 Norvegiam classe piratica invaserit, ubi oppressus est. Hjaltlandiam ab Olavo ad christianismum conversam esse, quod memorat poëta str. 10–11, sola, ut puto, commemorat Fagurskinna. In enarrando ordine prælii, ad Svöldram commissi, discedit poëta a Snorrio aliisque, quod et ab conscriptore annotatum est. Postremo, cum scriptores seculi duodecimi diligenter omnes traditiones et auctoritates collegerint, ut ostenderent, Olavum regem e prælio evasisse et in monasterium secessisse, de his apud poëtam nostrum nullum verbum extat, qui tantum dicat, str. 32–33, mortem ejus incolis acerbam fuisse, eumque a Christo (ut strenuum religionis propagatorem) rebus humanis ereptum. Quæ omnia ætatem remotiorem prodere videntur, ut non improbabile sit, auctorem carminis, cum Codice Flateyensi, ad seculum undecimum referre. Circa hoc tempus nullum reperimus poëtam Steinis nomine; nullum hoc nomine affert Catalogus Poëtarum, præter Steinem Herdisæ filium, sub regibus Haraldo *imperioso* et Olavo *tranquillo;* nullum ex tot poëtis Landnama, præter eundem Steinem, quem tantum

Stein *Skáld* (poëtam) appellat; nullum Edda Snorriana, præter Steinem Herdisæ filium (tantum pag. 123) et Hallarsteinem.

§. 8. Fuit Stein Herdisæ filius, teste Landnama, pag. 90-91, natione Islandus, gente Norvegus, genus ducens a Ketile *Silone*, pronepos Einaris *Lancicrepi* (*Skálaglam*); idem Ulvo Ospaki filio, aulæ-magistro regis Haraldi *imperiosi*, tertio et quarto gradu lineæ lateralis inæqualis junctus erat; floruit seculo undecimo, æqualis Marki Skeggii filii. Interfuit prælio Nizico, anno 1062 (Hist. Haraldi *imper.* c. 63), quod prælium, in honorem regis Haraldi, versibus Nizicis (*Nizar-vísur*) celebravit (Knytl. cap. 25); carmen laudatorium brevius de Ulvo Ospaki filio, cognato suo, composuit (Hkr. l. c. cap. 38): item carmen intercalatum de rege Olavo Haraldi filio, dicto *Tranquillo* (ibid. cap. 88). Hoc carmen, ex quo haud paucæ strophæ citantur, tam in Heimskringla, quam in Fagurskinna et Hrokkinskinna, vivo adhuc rege Olavo Tranquillo compositum esse apparet, et quidem ante annum 1085, cum expeditionis adversus Anglos hoc anno susceptæ mentionem non faciat. De ætate ejus hanc conjecturam facere liceat. Cum anno 1062 prælio Nizico interfuerit, seque ipse inter pugnantes numeret (Hist. Har. cap. 63, 4), atque sui putet esse judicii, de summâ prælii disputare (Knytl. l. c.), ponamus, eum tum fuisse circiter annorum triginta; et si mediocri numero eum facimus quinquagenarium, ætas ejus conjecturalis incidit inter 1032 et 1082. Cumque Landnama nullos ejus nepotes recenseat, putamus eum maximam florentis et adultæ ætatis partem extra patriam in Norvegia vixisse, et hic mortuum esse, vel, si in patriam extremis

annis rediit, hic sine prole decessisse. Sequitur itaque, eum circiter viginti annos in aula se continuisse, unde cognomen aulici bene in eum cadere, existimandum est. Supra memoratum carmen, de rege Olavo tertio compositum, sine dubio *Olafsdrápa* dictum est. Quod carmen si cum Rekstefja contendis, reperies, credo, in utroque carmine tenorem poëticum haud dissimilem dominari; eandem versuum intercalarium rationem, similemque in his exprimi sententiam: *„Hann var ríkstr konúngmanna — Olafr und veg sólar — Höll ok fremstr at öllu"* propeaccedit ad alterum: *"Olafr borinn sólu — Ríklundadr veit undir — Sik bestan gram miklu"*, item ad hoc (Ok. c, 9, ult.):

Gramr er (heiðum himni
hann er fremstr konungmanna)
[spyr þú hve glikt mun görva]
gjöflundr (borinn undir).

In gratiam eorum, qui horum carminum indolem inter se conferre cupiant, monendum est, strophas in historia Olavi *Tranquilli*, cap. 9, Stufo adscriptas, rectius in var. lect. ad Steinem, nempe Herdisæ filium, auctorem referri, quod et versus intercalares luculenter commonstrant, et consensus Codicum Morkinskinnæ ac Hrokkinskinnæ abunde confirmant. Quæ omnia eundem utriusque carminis auctorem haud obscurè prodere videntur. Hinc quoque apparet, credo, primo, cur concinnator hujus recensionis testimonium Hallarsteinis opponat assertioni Snorrii et aliorum (c. 250), nempe quod Hallarstein his tempore superior fuit; deinde, cur Snorrius in historia Olavi primi Rekstefjam non citet, nempe quod Hallarstein eorum temporum æqualis non fuit: hunc enim morem prudens ille historicus ser-

vare solet; nam citatio in cap. 21 consvetudini Snorrianæ repugnat. Quem vero eundem esse autumamus, Steinem Herdisæ filium, in historia Haraldi *imperiosi* et Olavi tertii, utpote æqualem, ut gravisimum auctorem allegat.

§. 9. Præter quædam memorabilia, ab aliis omissa, quæ poëta noster carmine suo conservavit, etiam nonnulla specialia habet, vix alibi occurrentia, quo pertinent res mire ab Olavo gestæ, str. 29-31, quæ seculi genio convenienter referuntur. Hæc, et alia specialiora, fonte traditionum secretarum ad eum pervenisse, vix dubitandum est. Quorum idoneos auctores proxime ab ejus ætate reperimus duos viros, Olavo amicissimos, nempe Einarem Thambarskelverem et Thorkelem Dyrdelem, utrumque ex historia notum. Decessit Einar anno 1054, quemadmodum in historiis regum Norvegicorum commemoratum est. Thorkel Dyrdil, avunculus regis Olavi, regnante Magno *Bono* senex obiisse videtur; de quo narrationem brevem afferemus, quam nobis servavit Hrokkinskinna, tum quod lucem vitæ Thorkelis affundit, tum quod ad historiam Olavi confirmandam faciat. Hoc eventum, secundum ordinem rerum in Codice expositarum, incidit in annum 1046, cum subjungatur narrationi de prælio Helganesio. Talis vero est:

Svá er sagt, at sá maðr var borinn í róg við Magnús konúng, er hèt Þorkell Dyrðill, hann var sýslumaðr konúngs ok frændi: honum var kent, at hann hefði eigi greitt konúngi landskyldir svá miklar, sem hann átti. Konúngr fór til bœar Þorkels með fjölmenni, svá at hann vissi einga ván í, þvíat konúngr vildi, at honum yrði veizlufóll; en þat fannst ekki á, tók Þorkell hit bezta við konúngi,

ok fór veizlan fram sköruliga. Konúngr var heldr úkátr. Ok einn dag, er borð voro brotto, gekk Þorkell fyrir konúng ok mælti: illt þykki mèr, herra, er þèr erut úglaðir, þvíat ek vildi yðr veita af góðvilja. Nú vildi ek, at þèr gengut út, ef yðr þætti gaman at höggva yxn eðr hafra, er hafa þarf til veizlunnar. Konúngr svaraði: hvat varðar, þótt vèr reynum? Gengu þeir þá út, ok þar til sem stóð einn mikill búkkr. Konúngr hjó á hálsinn hafrinum, ok beit sverðit lítt, en mönnum þótti kynjum viðbregða: þar hrutu ör silfrpenníngar nokkurir. Konúngrinn varð við þetta mjök reiðr, ok mælti: þat mon þó sannast, Þorkell! at mjök viltu mik úvirða, bæði í smám hlutum ok stórum, ok er þetta gert til spotts við mik. Þorkell svaraði: eigi er svá, herra; ek er nú gamall ok grár fyrir hærum, hefi ek þjónat nokkurum konúngum af allri minni kunnáttu: fyrst Olafi konúngi Tryggvasyni, frænda mínum, er ek unna mest allra manna; síðan var ek með föður þínum, ok mynda hann eigi þess til mín geta, at ek myndi svíkja hann. Nú með því at mart reynist öðruvíss, en orði verði á komit, þá má verða, at ek reynumst eigi svá údyggr, sem öfundsjúkir menn hafa yðr flutt: þvíat eptir fall föður þíns, herra! kom yfir oss ill öld af ríki Alfívo, svá at hvers manns fè var í úfriði; þá hræddumst ek, at ek myndi eigi fá gætt þeirra konúngs eigna, er ek varðveitta, en ek vissa, at þèr áttuð at rèttu skuld ok skatt af at taka; þá var þat mitt ráð, at fylla hafrstöku þessa af silfri, ok fèkk ek svá haldit fènu fyrir Alfívo ok hennar hernaði. Takit nú, herra! landskyldir yðrar, ok þykkjumst ek eigi hafa dregit yðvar fè mèr í sjóð, sem rógsmenn hafa yðr sagt.

Konúngr sá, at þetta var stórmikit fè, ok mælti til hans: haf þú þökk fyrir þína dygga ok drengiliga meðferð; vil ek at þú hafir mitt umboð ok sýslo, sem áðr, þvíat úvíst er, at annar jafnröskr maðr setìst í þitt rúm. Skildu þeir sáttir, ok slitu eìgi vinskap, meðan þeir lifðu báðir. I. e. „Tradunt, virum quendam, præfectum Magni regis, ipsique cognatum, nomine Thorkelem Dyrdilem, falso apud regem delatum fuisse: huic crimini datum est, quod, quanta debuisset, vectigalia regi non pependisset. Rex, multis comitatus, ad villam Thorkelis, ipso nec opinante, profectus est, quod eum crimini voluit implicare neglecti convivii. Verum res aliter cecidit: Thorkel regem maximo apparatu excepit et magnificentissimum instauravit convivium. Rex subtristis erat. Quare Thorkel die quodam, remotis mensis, regem adiens sic allocutus est: ægre fero, domine, quod tam tristis es; te enim bono animo excipere volui; jam vero vellem domo egredere, si tibi oblectamento est, cædere boves aut capros, quorum ad convivium opus est. Respondit rex: quidni experiamur? Exeunt; veniunt ubi ingens stabat hircus. Rex cervicem capri ense feriit, minus ad ictum acuto. Sed res mira accidere visa: excussi ex hirco numi aliquot argentei. Qua re iratus rex, infit: hoc equidem verissimum credo, Thorkel, te admodum cupere, tam parvis quam magnis in rebus, me afficere contumelia; ista enim ludibrii ergo facta sunt. Thorkel respondit: haud ita est, domine! ego jam senex sum et canis albeo; aliquot regibus, quo potui studio, apparui: primo regi Olavo Tryggvii filio, cognato meo, quem omnium hominum maxime amavi; postea cum patre tuo versatus sum, qui

sanè hoc de me non suspicatus esset, fore, ut se defraudarer. Jam vero cum experientia probet, multa aliter se habere, quam sermo tulerit, fieri potest, ut non tam infidelis reperiar, quam ad te invidiosi homines detulerunt. Nam post cædem patris tui, domine, mala nobis tempora supervenerunt, ob tyrannidem Alfivæ, qua regnante nullius non hominis facultates in periculo versabantur. Hic ego metuens, ut possessiones regias, meæ fidei commissas, conservare possem, cum scirem, harum reditus ac tributa jure ad te pertinere: hoc ego consilii cepi, ut hanc pellem caprinam argento complerem; quo factum est, ut pecuniam ab Alfiva ejusque rapinis intactam retinere potuerim. Accipe nunc, o rex, vectigalia tua: ego vero mihi videor pecunias tuas in meam crumenam non transtulisse (non intervertisse). Rex, videns hoc ingentem esse pecuniæ vim, eum adfatus est: amo te, quod hæc tam fideliter et probe curavisti; volo te meum esse procuratorem et præfectum, ut antea: incertum enim est, an vir pari virtute in tuum locum sit successurus. Sic reconciliata gratia digressi sunt, quamdiu ambo vixerunt, nunquam amicitiam dissolventes."

Hos duos viros relationum de rege Olavo, decursu temporis varie traditarum, præcipuos esse auctores, historia nostra præeunte, credimus. Quorum extrema tempora si in adolescentiam poëtæ nostri inciderunt, tales traditiones, quæ quo longiore deverticulo ab ipsa scaturigine recesserunt, eo plus vitii ex labentis seculi ingenio trahere solent, fonte satis puro ad posteros defluxisse existimandum est.

§. 10. His ita præmissis, ipsam Rekstef-

jam, qualem nobis exhibet Codex Byrgerianus, oculis lectorum subjecimus, subjuncta lectionum varietate, ex Codd. historiæ Olavianæ desumta, adjecto ordine prosaico, et adtemperata huic versione latina. Ubicunque vero textum aut depravatum, aut interpolatum, aut mutilum offendimus, quod haud paucis locis accidit, qua fieri potuit, aut varias lectiones in textum recepimus, aut novas conjectavimus. Sed vires nostræ, fatemur, ad restituendum et explicandum textum non ubivis suffecerunt. Occurrunt loca obscuriora, in quibus tractandis nobis ipsi non satisfecimus, de quibus adhuc dubitamus. Ex his sunt: vox *skurumst*, str. 1, v. 5; *græðiss meldrar*, str. 13, v. 3; quatuor postremi versus strophæ 23; *slæm*, str. 24, v. 2; *hvi kvæðum*, str. 34, v. 1. Postremo addidimus explicationem vocum et phrasium rariorum, in Rekstefja occurrentium, quatenus aut antea non erant explicatæ, aut novæ lectiones hoc postulare videbantur.

R E K S T E F J A.

Rekstefja,

er Hallarsteinn[1] orti um Olaf konúng Tryggvason.

1.

Hers gnótt hrunda[2] slèttum
hljóðs kveð ek mèr at óði:
randhvels remmi-þundi[3]
rekstefju tek ek hefja;
Skurumst skjaldar linna
skal ek fríðum lof smíða
þíngbaldr[4] þróttar-mildum,
þeim er fremstr varð heima.

2.

Vegmildr víðrar foldar
vavrðr[5] þá fóstr í Görðum;
vellbjóðr vísar[6] dáðir
vann, sá er hærst gekk manna.
Blikruðr brigða miklum
brátt rèðhann þeims[7] átti
allprútt[8] èla þróttar
Ólafr skipa stóli.

3.[9]

Ólafr allra jöfra

Var. lect. 1) ita constanter *A. B.* et Skalda. *Hallasteinar* Cod. Byrg. 2) Scriptura Codicis anceps est, *Hnvda*; nexus postulare videtur *hrunda* vel *hölda*. 3) Conjeci pro *rennu-þ.* quod putavi *renu* ex *remi* facile depravari potuisse. 4) Conjeci pro *þigbaldr.* 5) Sic *A*; *ıavðr*, Cod. Byrg. 6) *vísa*, regis, i. e. regia, *A.* 7) *þat*, inser. Cod. Byrg. omisi. 8) sic *A*, *allpruttr*, Cod. Byrg. 9) Huic strophæ, quæ in Cod. Byrg. 5ta est, inter strophas "*Fullsnart frœknu hjarta*" et "*Ugglaust Ira bygdir*" posita, hunc locum designavi, svadente et nexu rerum et Cod. *A*, qui hanc stropham ceteris præmittit.

Rekstefja,
quam Hallarstein de rege Olavo Tryggvii filio composuit.

1.

Ordo: *Gnótt hrunda hers! ek kveð mèr hljóðs at slèttum óði: ek tek hefja Rekstefju remmiþundi randhvels; Skjaldar linna þíng-baldr! ek skal smíða lof fríðum, þróttar-mildum, þeim er varð fremstr beima.*

Versio: Numerosa turba feminarum! Posco silentium mihi, carmen expolitum recitaturo: ordiri incipio Rekstefjam coram præliatore, orbes circulo pictos firmante. Heros conventûs ensium, clypeos morsu viperino depascentium! laus mihi fabricanda est pulcro de viro, eximii roboris, qui omnium hominum præstantissimus extitit.

2.

Ordo: *Vegmildr vavrðr víðrar foldar þá fóstr í Görðum; vellbjóðr, sá er gekk hærst manna, vann vísar dáðir. Hann Olafr rèð brátt allprútt brigða miklum skipastóli, þeims þróttar èla blik-ruðr átti.*

Versio: Gloriosus latæ terræ custos Gardis educatus est; auri præbitor, qui omnes longè superavit, nota perpetravit facinora. Ille, Olavus, maturè ingenti classi, quam possedit gestor micantium gladiorum, magna virtute præfuit.

3.

Ordo: *Vargholl Olafr rak óttlaust vestr*

óttlaust[1], ok nam brjóta,
varghollr, Vinda borgir,
vestr hernað rak mestan.
Hræ-linns hverju sinni
hljóm-váttandi knátti
sóknbráðr[2] sigri ráða
Svölnis dóms í rómu.

4.

Senn öll síðan runnu
snekkju börð or Görðum
hermörg, hála tjörgoð[3],
hildíngs und gram mildum[4].
Vestr-lönd, virða kindir,
verfákum lèt[5] herjat
aldyggr arfi Tryggva
Olafr, ok klauf stálum.

5.

Full-snart frækna hjarta
fríðr þengill lèt síðan
(hjörgall, höldar fèllu),
hefnt síns föðurs (efndi).
Blóðavgr[6] bragníngs þjóðar
brandr gall á Englandi[7];
ótrautt[8] enskrar[9] dróttar[10]
aldrspelli frá ek valda.

6.

Ügglaust Ira bygðir
ókvíðinn lèt síðan[11]

---

[1]) *allfljótt*, perquam cito, *A.* [2]) *sannfróðr*, bene gnarus, *A.* [3]) *törgut*, id. *A.* [4]) sic *A*, *miklum*, Còd. Byrg. invito metro. [5]) *rèð*, eod. sensu, *A.* [6]) *blóðugr*, id. *A.* [7]) sic *A*, *Irlandi*, Hibernia, Cod. Byrg. Sed sequitur mox *Enskrar dróttar*, et in str. sequ. de expeditionibus hibernicis agitur. [8]) *odd-rjóð*, mucronis rubefactorem, bellatorem, *A.* [9]) sic dedi; *einskrar*, Cod. Byrg. Sed *το i* melius abest, nam *Enskr* est pro *Engskr*, (knytl. p. 189). [10]) *enskra lýða*, eod. sens. *A.* [11]) *rèð víða*, latè, *A.*

mestan hernað allra jöfra, ok nam brjóta Vinda borgir. Sóknbráðr hrælinns hljóm-váttandi knátti hverju sinni ráða sigri í rómu Svölnis dóms.

Versio: Lupis favens Olavus latissime omnium regum in occidente arma circumtulit intrepidus, atque Vendorum oppida diruit. Promtus ad oppugnandum testis sonitûs gladialis quavis vice adeptus est victoriam in clamoso Odinis judicio.

4.

Ordo: *Hermörg snekkju börð hildings, hála tjörgoð, runnu síðan öll senn or Görðum und mildum gram. Aldyggr Olafr, arfi Tryggva, lèt herjat Vestrlönd verfákum, ok klauf virða kindir stálum.*

Versio: Deinde permultæ naves regiæ, clypeis splendide ornatæ, ab Gardis cucurrerunt una omnes, regem liberalem ferentes. Fidelissimus Olavus, hæres Tryggvii, terras occidentales navibus advectus, prædas egit, et virorum sobolem ferro concidit.

5.

Ordo: *Fríðr þengill lèt síðan full-snart hefnt sínsföðursfræknu hjarta: efndi hjörgall, höldar fèllu. Blóðavgr brandr bragnings þjóðar gall á Englandi: ek frá ótrautt valda aldrspelli enskrar dróttar.*

Versio: Formosus rex deinde forti animo necem patris sui acriter ultus est: sonitum gladii effecit, cecidere viri. Cruentus ensis regiorum militum in Anglia sonuit: quem populis Anglicis certam necem attulisse accepi.

6.

Ordo: *Okvíðinn Ullar kjöla el-freyr lèt síðan ugglaust endr brendar fikula bygðir Ira Skjald-prúðr ofnam ryðja Skotland skörpum*

el-freyr Ullar[1] kjöla
endr fíkula brendar.
Skotland skörpum[2] brandi
skjald-prúðr[3] of[4] nam ryðja:
oddr beit (úlfar söddust)
ódeigr Skota feiga.

7.

Frónbands[5] færi öndrum[6]
fríðr til Noregs síðan
sker-baldr Sköglar elda
skjaldbúnum lèt haldit;
heiðinn heiman flýði
hildíngr, nè þar vildi,
áðr, enn Olafs bíða
jarl, af sínu hjarli.

8.

Hauk-jóðs harða víða,
hátt[7], norrænar dróttir
þund-regns, þeim of vandag[8],
þengils á bý gengu.
Oráð illri þjóðu
Olafr of[9] galt[10] dála:
vígrunnr velja kunni
víkíngum hlut slíkan.

9.

[Fyrsta stefja-mál.]
(Fyrsta stef):
Fèmildr[11] fylkir vildi
firna mörg ok hörga
blóthús brenna láta,

---

[1]) sic *A; Ulfar*, Cod. Byrg. [2]) *sköfnum*, polito *A. skýgðum*, pellucido, *Sk. skömmum*, brevi, *F* [3]) *skjaldfrýðr*, id. *A. skjótfróðr*, qs. jaculandi peritus? *F.* [4]) *ok*, et, *A.* [5]) sic conjeci; *frónbrandr*, Cod. Byrg. [6]) sic conjeci; *ond*, Cod. Byrg. [7]) Sic conjeci, svadente nexu; *hvít*, Cod. Byrg. [8]) sic dedi; *vandagek*, Cod. Byrg. [9]) sic ego pro *ok*, Cod. Byrg. [10]) sic conjeci; *gatt*, Cod. Byrg. [11]) sic *A*; *fèmildir*, Cod. Byrg.

brandi; ódeigr oddr beit feiga Skota: úlfar söddust.

Versio: Posthæc intrepidus dominus scutorum procellæ absque metu agros Hibernorum avide combussit. Clypeo decorus Scotiam acuto ense devastavit; prædura cuspis Scotos, morti destinatos, momordit: lupi saturati sunt.

7.

Ordo: *Síðan lèt fríðr Skögla̓r elda skèrbaldr haldit skjaldbúnumfrónbandsfœri-öndrum til Noregs. Heiðinn hildíngr flýði áðr heiman af sínu hjarli, nè jarl vildi þar enn bíða Olafs.*

Versio: Deinde formosus gestor scopuli, ignes Skögulæ excipientis, mobiles æquoris trabes cursorias, clypeis ornatas, in Norvegiam direxit. Princeps paganus ante domo ex regno šuo profugerat, noluit enim dynasta ibi porro Olavum opperiri.

8.

Ordo: *Norrœnarþundregns dróttir gengu harða víða á hauk-jóðs bý þengils, þeim ofvandag hátt. Olafr of-galt dála órdð illri þjóðu: vígrunnr kunni velja víkingum slíkan hlut.*

Versio: Norvegici pugnatores locis permultis transierunt in partes principis, in cujus honorem artificiosum carmen elaboro. Olavus perversa consilia malorum hominum severè punivit: rex bellicosus piratas eodem modo tractavit.

9.

[Prima classis versuum intercalarium.]

(Primus versus intercalaris).

Ordo: *Fèmildr fylkir vildi láta brenna firna mörg blóthús ok hörgą: hann bað meiða heiðin goð. Síðan kendi herlundr, sannhróð-*

bað hann heiðin goð meiða.
Sigrbrands[1] síðan kendi
sannhróðigr[2] trú góða
herlundr[3] hölda kindum.[4]
— *Hann var[5] ríkstr konúngmanna* —

10.

(Annat stef):
Þjóð lönd þremja[6] skyndir
þrenn kristnaði ok tvenna:
hildíngs höppum valda
hans ríki frá ek slíkum;
mæríngs mönnum skírist[7]
merki fremdar verka
eggmóts[8] ekki lítil.
— *Olafr und veg sólar* —

11.

(þriðja stef):
Island ela skyndir,
ítur lista[9], vann kristnat
gullmildr, Græna-veldi,
gönnlar þeys[10], ok Eyar:
handvíst Hjalta grundar
hann, sem Noregs manna,
háttu hilmir bætti.
— *Höll[11] ok fremstr at öllu.*

12.

[Annat Stefja-mál.]

---

1) sic dedi; *sigrbans*, Cod. Byrg. *siðvandr*, *A*. 2) *sannfróðum*, *A*. 3) sic *A*; *yrlundr*, Cod. Byrg. 4) sic *A*, lacuna in Cod. *Byrg*. 5) *er*, est, *A*. 6) sic dedi; *þrenja*, Cod. Byrg. 7) *skýrist*, Cod. Byrg. 8) conjeci pro *egmotr*, Cod. Byrg. 9) Cod. Byrg, una voce *íturlista*. 10) Cod. Byrg. *gunnlar þeyrs*. 11) sic dedi pro *hollr*, Cod. Byrg.

igr sigrbrands, hölda kindum góða trú. "Hann var ríkstr konúngmanna."

Versio; Munificus princeps permulta deorum templa ac aras comburi, ethnicaque simulacra confringi jussit. Quo facto columen exercitus, armis victricibus jure gestiens, incolas bonam docuit religionem. *"Ille fuit regum potentissimus."*

10.

(Secundus versus intercalaris).

Ordo: *Þremja skyndir kristnaði þrenn lönd og tvenna þjóð: ek frá hans ríki, hildings, valda slíkum höppum. Eggmóts mönnum skírist ekki lítil merki fremdarverka mærings.* — *"Olafr und veg sólar"* —

Versio: Missor gladiorum tres terras et duas nationes ad christianismum perduxit: novi, hujus imperatoris potentiam (severitatem) tam prosperas res effecisse. Haud exigua indicia rerum, ab excellenti principe gloriosè gestarum, viris præliatoribus significantur. — *"Olavus sub augusti solis"* —

11.

(Tertius versus intercalaris).

Ordo: *Gullmildr skyndir Gönnlar þeys ela, ítur lista, vann kristnat Island, Grænaveldi ok Eyar: hann, hilmir, bætti handvíst háttu Hjalta grundar, sem Noregs manna.* — *„Höll, ok fremstr at öllu."*

Versio: Auri-largus incitator Göndulæ tempestatis, artium peritissimus, christianam reddidit Islandiam, Grænlandiam et Insulas: idem rex mores Hjaltlandiæ, ut et Norvegorum, haud dubiè emendavit. — *"Aula, et omni ex parte præstantissimus."*

12.

[Secunda classis versuum intercalarium.]

(Fyrsta stef):
Hafglóð hilmir sáði
hjaldr-ríkr ok gaf skjöldu,
stètthríngs stöfnum veitti
stikka, vâpn ok skykkjur:
stórráðr steinda knörru
stillir fèkk, ok ekki
hildíngs hæfði mildi.
Hann var ríkstr konúngmanna —

13.

(Annat stef):
Húns nótt hverja knáttu
hirðmenn konúngs spenna
gyld horn græðiss meldrar,
glaðr vísi drakk þaðra:
víðfrægr velja tæði
vín hirðmönnum sínum
allvaldr einkar mildum.
— *Olafr und veg sólar* —

14.

(Þriðja stef):
Morðbrands[1] mörgû sinni
móðþrútinn bjó úti
(húfr svall, hrannir fèllu)
hvessi-meiðr á skeiðum;
gullt[2] hlýr (gnöptu skálptar[3])
gunnfíkinn[4] lèt blíkja[5]
herruðr höfnum fjarri.
— *Höll ok fremstr at öllu.*

---

1) Conjeci pro *morðbands*, Cod. Byrg. *morðlinns*, *A.* 2) *gylt*, id. *A.* 3) sic & *B*; *skolptar*, *C.* *skoltar*, usitatè, *A.* 4) sic *A*; *gunnfílinn*, Cod. Byrg. et *B.* 5) sic *A*; *blikra*, Cod. Byrg. et *B.*

(Primus versus intercalaris).

Ordo: *Hjaldr-rikr hilmir sáði hafglóð, ok gaf skjöldu, vápn ok skykkjur: veitti stètt-hríngs stöfnum stikka. Stórráðr stillir fèkk steinda knörru, ok ekki hæfði mildi hildings. "Hann var ríkstr konúngmanna."*

Versio: Rex bellipotens prunas maris dissevit, et donavit clypeos, arma et tunicas: sic præbuit gladii gestoribus carminis materiam. Imperiosus rex pictas naves mercatorias dono dedit, et nihil potuit liberalitatem principis exæquare. *"Ille fuit regum potentissimus.*

13.

(Secundus versus intercalaris.)

Ordo: *Hirðmenn konúngs knáttu hverja húns nótt spenna gyld horn; vísi, glaðr græðiss meldrar, drakk þaðra. Víðfrægr allvaldr tæði velja vín sínum einkar mildum hirðmönnum. "Olafr und veg sólar."*

Versio: Satellites regii, quavis ursi nocte, aurea cornua dextris tenuere; rex ibi potavit, æquorea lætus farina. Imperator, late celeber, vina suis satellitibus perquam liberalibus elegit. —*"Olavus sub splendidi solis"* —.

14.

(Tertius versus intercalaris.

Ordo: *Móðþrútinn morðbrands hvessimeiðr bjó mörgu sinni úti á skeiðum: húfr svall, hrannir fèllu. Gunnfíkinn herruðr lèt gullt hlýr blíkja fjarri höfnum: skálptar gnöptu. "Höll, ok fremstr at öllu."*

Versio: Exacuens gladium, animosissimus rex, in bellicis navibus sæpe excubuit; tabulæ navales unda maduere, fluctus ruebant. Imperator, pugnæ cupidus, inauratas proras procul a portubus splendere fecit: rostris hiantibus. *"Aula, et omni ex parte præstantissimus."*

15.

[þriðja stefja-mál]

(Fyrsta stef):

Avrbjóðr[1] átta skeiðum
efsta sinn ok þrinnum
(byrr varð) beita þorði
(brýnn) or[2] þrándheims[3] mynni.
Ormr skreið (árar kníði[4])
ölna váng[5] hinn lángi
(hirð prúð), hilmir stýrði.
Hann var[6] ríkstr konúngmanna —

16.

(Annat stef):

Raunskjótt[7] ræsir hitti[8],
rít[9] (var-a friðr at líta)
sól rauð Svölnis èla,
senn döglínga þrenna.[10]
Fimtán fjörnis mána
fleygjendr at gram rendu
Ekkils ýti[11] blökkum.
— *Olafr[12] und veg sólar* —

17.

(þriðja stef):

Grár[13] reif, gjörðu[14] drífu
(gall brandr við slög) randa,
tröll-marr[15] trýni sollinn,
tveir nafnar, hræ[16] jafnan.
Svænskr herr[17] sigri þorrinn:

---

1) *örrjóðr*, rubefactor sag. *A.* 2) *at*, *A.* 3) *Svöldrar*, *A.* 4) sic dedi, pro *kníðo*; *knúði*, *A.* 5) sic *A*; *otna vagns*, Cod. Byrg. perperam. 6) *er*, *A.* 7) *rann skjótt*, *A.* 8) *mátti*, *A.* 9) sic *A*; *ritt*, Cod. Byrg. 10) *tvenna*, duos, *A.* 11) sic et *C*, *úti*, *A.* 12) sic *A*; *Olaf*, Cod. Byrg. 13) sic *C*; *grá*, *A*, *gjá*, Cod. Byrg. 14) sic *A*; *gjörði*, Cod. Byrg. et *C.* 15) sic *C*, *F*, *troll matr*, Cod. Byrg. *tròllan*, *A.* 16) sic *C*, *F*; *þar*, Cod. Byrg. et *A.* 17) *var*, inser. *A.*

15.

[Tertia classis versuum intercalarium]
(Primus versus intercalaris.)

Ordo: *Avrbjörðr þorði efsta sinn beita átta ok þrinnum skeiðum 'or Þrándheims mynni; brýnn byrr varð. Ormr hinn lángi skreið ölna váng: prúð hirð knîði árar: hilmir stýrði. "Hann var ríkstr konúngmanna."*

Versio: Oblator sagittæ ausus est ultima vice octo et tres naves ex ostio sinus Thrandheimici deducere, ferente vento usus. Serpens Longus per campum piscium lapsus est: decori satellites remos torquebant: princeps clavum regebat. *"Ille fuit regum potentissimus."*

16.

(Secundus versus intercalaris).

Ordo: *Ræsir hitti raunskjótt þrenna döglínga senn; sól Svölnis èla rauð rít: var-a friðr at líta. Fleygjendr fjörnis mána rendu fimtán ýti-blökkum Ekkils at gram. — "Olafr und veg sólar."*

Versio: Rex opinione citius tres una principes offendit; sol Odiniarum procellarum scuta dirupit: pacem cernere non erat. Missores galeæ lunarum in regem concitarunt quindecim equos piratæ trusiles. *"Olavus sub splendidi solis."*

17.

(Tertius versus intercalaris).

Ordo: *Tveir nafnar gjörðu randa drífu: brandr gall við slög; grár tröll-marr, trýni sollinn, reif jafnan hræ. Svænskr herr (var) þorrinn sigri: sverð beit, en þeita fló; hríð óx, höldar flúðo. "Höll, ok fremstr at öllu."*

Versio: Duo cognomines nimbum clypeorum fecerunt: enses ensibus insonuere; cinereus gigantidis equus, rostra madens, cadavera

sverð beit, en fló[1] þeita[2],
hríð óx, höldar flúðo[3].
— *Höll ok fremstr at öllu.*

18.

[Fjórða stefja-mál].
(Fyrsta stef):
Avrbragðs ærir[4] lögðu
annat sinn at linna
(grimt varð Göndlar[5] borða
gnaust) sex tigum flausta;
Danskr herr dýran harra[6],
drótt hnè mörg, þar er sótti[7],
hirð fèll, hrafnar gullu.
Hann var[8] ríkstr konúngmanna.

19.

(Annat stef):
(Straung) varð (stálin súngu)
sterklig jöfurs merki;
gramr skaut, gjörðist rimmu
gángr um Orminn lánga.
Nýtr herr Noregs gætiss-
nærr var-a trauðr at særa
orðprúðs[9] Jóta ferðir.
— *Olafr und veg sólar.*

20.

(Þriðja stef):
Myrkt hregg mækiss eggja
meinilla gekk Sveini:

---

1) *blá*; *A.* 2) sic *C*; *feita*, Cod. Byrg. et *A.* 3) sic *A*; *flúði*, Cod. Byrg. 4) sic dedi pro *ærit*, Cod. Byrg. et *B*; *errir*, *C.* 5) sic *B*; *gundlat*, Cod. Byrg. 6) sic *B*; sed omitt. hanc voc. Cod. Byrg. 7) sic. *B*; *sóttu*, Cod. Byrg. 8) *er*, *B.* 9) sic *C*; *orðprúðr*, Cod. Byrg. *orðprúð*, *B.*

jugiter discerpsit. Exercitus Svecicus victoria dejectus est: acutus erat gladius, sagitta vero volabat; invaluit impetus, fugerunt viri. "*Aula, et omni parte præstantissimus.*"

18.

[Quarta classis versuum intercalarium].

(Primus versus intercalaris).

Ordo: *Avrbragðs œrir lögdu annat sinn sex tigum flausta at Linna: gnaust Göndlar borða vàr grimt; mörg drótt hnè, þar er Danskr herr sótti dýran harra: hirð fèll, hrafnar gullu.* "*Hann var rîkstr konúngmanna.*"

Versio: Volantium sagittarum ministri altera vice sex decades navium Serpenti applicuere: conflictus tabularum Göndulæ fuit atrox. Multa procubuit cohors, ubi Danicus exercitus carum principem oppugnavit: satellites cecidere, clangebant corvi. "*Ille fuit regum potentissimus.*"

19.

(Secundus versus intercalaris).

Ordo: *Straung stálin súngu: varð sterklig jöfurs merki; gramr skaut: rimmu gángr gerðist um Orminn lánga. Nýtr herr orðprúðs Noregs gœtiss var-a nœrr trauðr at sœra Jóta ferðir.* "*Olafr und veg sólar*"

Versio: Sævi chalybes sonabant, firma manebant regis signa; rex tela misit: pugna grassata est circa Serpentem longum. Strenuus exercitus facundi Norvegorum custodis minime noluit Jotorum agmina vulnerare. "*Olavus sub splendidi solis.*"

20.

(Tertius versus intercalaris).

Ordo: *Myrkt hregg mækis eggja gekk*

drótt hnè dreyra þrútin[1],
Danir skunduðu undan.
Tandr[2] beit[3], tiggi rendi
tveim[4] döglíngum, Sköglar;
hans vörn[5] hefðist[6] firnum[7].
— *Höll ok fremstr at öllu.*

21.

[Fimta stefja-mál].
(Fyrsta stef):
Ítr jarl einkar snarla
endr fimm skipum rendi
þrek[8] manns þriðja sinni
þremja storms at ormi.
Ben lèt (börðust ýtar)
brynskíðiss viðum svíða
Hyrníngr heiptargjörnum.
Hann var[9] ríkstr[10] konúngmanna.

22.

(Annat stef):
Rán-síks[11] remmi[12] lauka
róg-svellir bað fella
(styrr þreifsk[13]) stæri-[14]aska
strángr á Orminn lánga.
Ættstórr ella mátti[15]
Eiríkr í dyn geira

---

1) Pro hoc versu habet *B: sár frá ek drengjum dreyra.* 2) sic *B*; *tavðr*, Cod. Byrg. perp. 3) *flaug*, *B.* 4) sic *B; tvem*, Cod. Byrg. 5) *vegr*, *B.* 6) *hófst með*, *B.* 7) *sigri*, *B.* 8) sic *C*, *F*; *þess*, Cod. Byrg. et *B.* 9) *er*, *A.* 10) sic *A; fremstr*, Cod. Byrg. 11) sic *A*; rann harri, Cod. Byrg. et *B.* 12 sic *A* *reins*, Cod. Byrg. et *B.* 13) sic *A; þreifst*, Cod. Byrg. 14) sic *A*; *stærri*, Cod. Byrg. 15) sic *A; mætti*, Cod. Byrg.

Sveini meinilla; drótt hnè, þrútin dreyra: Danir skunduðu undan. Sköglar tandr beit, tiggi rendi tveim döglíngum; hans vörn hefðist firnum. "Höll ok fremstr at öllu."

Versio: Obscura procella acierum gladii valde infeliciter Sveini cessit; cecidere viri, cruore tumentes: Dani celeri fuga se subduxerunt. Ignis Skögulæ erat mordax: rex in fugam convertit duos principes; ejus defensio mirificè collaudata est. "*Aula, et omni ex parte præstantissimus.*"

21.

[Quinta classis versuum intercalarium].

(Primus versus intercalaris).

Ordo: *Itr jarl rendi endr einkar snarla fimm skipum þriðja sinni at ormi þremja storms þrek-manns. Ytar börðust: Hyrníngr lèt ben svíða heiptargjörnum brynskíðiss viðum. "Hann var ríkstr konúngmanna.*

Versio: Inclytus satrapa olim quinque naves, tertia vice, admodum celeriter admovit navi bellicæ viri, virtute bellica clari. Viri pugnabant: Hyrningus fecit, ut vulnera præliatoribus, vindictæ cupidis, dolerent. "*Ille fuit regum potentissimus.*"

22.

(Secundus versus intercalaris).

Ordo: *Strángr rógsvellir bað ránstiks stæri-aska fella remmi-lauka á Orminn lánga; styrr þreifsk. Ættstórr Eiríkr mátti ella aldri vinna of-linn í geira dyn. "Olafr und veg sólar"*

Versio: Severus incitator prælii jussit auri accumulatores in Serpentem longum valida ligna demittere; pugna exardescebat. Alioquin nobilis Eirikus in hastarum strepitu nun-

of-linn[1] aldri vinna.
— *Olafr und veg sólar.*

23.

(Þriðja stef):
Hvast skaut (hlífar brustu)
hildíngr or lyptíngu,
síðan sýnt[2] nam[3] eyðast,
sóknstrángr, Ormr hinn[4] lángi.
Unn-elds uppi runnum
engi kann enn svâ lengi
heggjo hilmis seggja.
— *Höll ok fremstr at öllu.*

24.

Hjörflóðs[5] hnykki-meiðum
hèr er of slæm at dæma
hnig-reyrs harða stóran[6]:
hefi ek þàr lokit stefjum.
Iðvandr aðrar dáðir
ek fýsumst[7] nú lýsa
gný-bjóðs geysi-tíðar
geira hóti fleira.

25.

Tvær[8] senn, (tiggja vinnur
tel ek), þær er ek veit færi[9]
gný-linns Göndlar runna[10],
gramr íþróttir framdi:
hyrbaldr[11] hvítra skjalda
handsöxum lèk vandla,
fleinrjóðr, flestra dáða[12]
frárr, ok gekk at[13] árum.

1) sic, duce *A*, restituo; *ólinn* Cod. Byrg. et *B*. 2) sic *A*; *seint*, Cod. Byrg. et *B*. 3) sic *A*; *mun*, Cod. Byrg et *B*. 4) *ormrinn*, *B*; *drekinn*, *A*. 5) ita conjeci, pro *hjörðfljóðs*. 6) in apographo fuit *staran*. 7) sic dedi pro *fúsumst*. 8) sic *A*; *tvær*, Cod. Byry. 9 sic *A*; *smærri*, Cod. Byrg. 10) *gunnelds geymi-runna*, *A*, B. 11) *hnigbaldr*, *A*. 12) sic *A*; *flestar dáðir*, Cod. Byrg. 13) *á*, in, *A*.

quam devincere Serpentem potuisset. *"Ólavus sub splendidi solis."*

23.

(Tertius versus intercalaris).

Ordo: *Sóknstrángr hildíngr skaut hvast or lyptíngu; hlífar brustu; síðan nam Ormrinn lángi sýnt eyðast. Engi hilmis seggja kann enn yppa svá lengi heggjo unnelds runnum. "Höll, ok fremstr at öllu."*

Versio: Strenuus bello princeps tela acriter e celsa puppi emisit: clypei dissiliebant; deinde Serpens Longus aperte defensoribus nudatus est. Nemo regiorum militum tam diu pugnam sustinuit adversus auri columina. *"Aula, et omni parte præstantissimus."*

24.

Ordo: *Hèr er hnykki-meiðum at dæma of harða stóran slæm hjörflóðs hnig-reyrs: ek hefi þar lokit stefjum. Iðvandr fýsumst ek nú lýsa hóti fleira aðrar geysi-tíðar dáðir geira gný-bjóðs.*

Versio: Hic strenuorum præliatorum est, judicare de permagno vibratore mobilis rami sangvinis: jam ego versus intercalares conclusi. Nunc, studii diligens, aliquanto plura cupio prædicare de aliis permultis virtutibus bellatoris.

25.

Ordo: *Ek tel vinnur tiggja: gramr framdi tvær íþróttir senn, þær er ek veit færi Göndlar gný-linns runna* (ɔ: fremja): *fleinrjóðr! hvítra skjalda hyr-baldr, frárr flestra dáða, lèk vandla handsöxum, ok gekk at árum.*

Versio: Artes recenseo principis: rex duas simul artes exercuit, quas exercere novi pauciores missores sonori Göndulæ serpentis: rubefactor telorum! Deus flammæ candidorum clypeorum, ad plurimas virtutes promtus, dexterè gladiolis ludebat et per remos incedebat.

26.

Valstafns[1] vætki[2] rofna[3]
viti menn at ek sá[4] tvenna
haus manns hríngi ljósum
hirðmeðr konúngs veðja;
(hermart) hjörva snyrtir
hvarr lèzt grams í hamri
(styrremdr[5] stillir framdi
stærra) öðrum færri.

27.

Annar öðlíngs manna
ókvíðinn rèð síðan
(stígr varð stála sveigi
strángr) í berg at gánga:
hátt fjall hvörki matti
(hans var líf þrotit) klífa
eldruðr ölna foldar
upp eða niðr frá miðju.

28.

Hildíng hvast[6] frá ek gánga
(hann rèð prúðt eptir manni,
ráðvandr ræsir[7] hendi[8]
ríp[9]) í bratta gnípu;
þrek leyfðr þengill hafði
(þat var endr) und hendi
(sigrþoll svâ barg[10] stillir)
sinn dreng, ok gekk lengra.

29.

Dreyr-serks[11] dýrðar merki
dáðminnigs[12] skal[13] ek inna

[1]) *vask jafns*, *A*. [2]) sic *A*; *vatki*, Cod. Byrg. [3]) *rofnat*, *A*. [4]) *frá*, *A*. [5]) sic *A*; *styr rèð*, Cod. Byrg. [6]) *hart* id, *A*. [7]) *hilmir*, *A*. [8]) *rendi*, *A*. [9]) sic *A*; *rípr*, Cod. Byrg. [10]) *bar*, *A*, *B*, *C*. [11]) *dáðstyrk*, *A*. [12]) *dólgminnigs*, *A*. [13]) *fet*, *A*.

26.

Ordo: *Viti menn, at ek sá tvenna konúngs hirðmeðr, vætki valstafns rofna, veðja manns haus ljósum hríngi; hvarr hjörva snyrtir grams lèzt öðrum færri í hamri: styrremdr stillir framdi hermart stærra.*

Versio: Sciant homines, me vidisse duos regis aulicos, manu fortissimos, in caput humanum et lucidum annulum pignus dedisse. Uterque principis satelles se altero peritiorem scandendæ rupis contendebat: rex bellipotens permulta maiora perpetravit.

27.

Ordo: *Síðan rèð annar öðlíngs manna ókvíðinn at gánga í berg: stígr varð strángr stála sveigi. Ölna foldar eld-ruðr mátti hvörki klífa hátt fjall upp eða niðr frá miðju: hans líf var þrotit.*

Versio: Deinde alter regiorum satellitum intrepidus aggressus est rupem scandere: difficilis evasit ascensus vibratori chalybis. Dispersor ignis æquorei nec sursum, nec deorsum a medio potuit scandere montem excelsum: de vita ejus actum fuit.

28.

Ordo: *Ek frá hildíng gánga hvast í bratta gnípu: ráðvandr ræsir hendi ríp; hann rèð prúdt eptir manni. Þrekleyfðr þengill hafði sinn dreng und hendi, ok gekk lengra: stillir barg svá sigrþoll; þat var endr.*

Versio: Audivi, regem cito gradu petram præaltam conscendisse: rex prudens consilii rupem evasit; fortiter ivit hominem petitum. Princeps, præclarus fortitudine, suum aulicum subalarem gestavit et longius processit: sic rex pugnatorem servavit; id olim fuit.

29.

Ordo: *Ek skal inna en fjórðu dýrðar*

ský-bjóðs skelfi-ríðar
Sköglar borðs en fjórðu:
Harðleygs hrinda frágum[1]
hvatlyndum Þorkatli
styrlund[2] stirðra branda
storms fyrir borð á Ormi.

30.

Spell vann, sparðit stillir
spjótruðs[3] skaða bótir,
meingarðr margra jarða
mikit[4] dýrligrar[5] skykkju:
guðvefr gjörðist jöfri
grán ok skinn á[6] hânum
senn á svipstund einni *)
síðan jafn[7] eða fríðri.

31.

Örrjóðr allra dáða
jarteignir vann[8] bjartar
(dvergs regn[9] dreyra[10] megnum[11]
dimt) í sinn ið fimta:
sigrgjarn sólu vænni[12]
sènn var skrýddr[13] með prýddum[14]
döglíngr drottins englum
dýrðar[15] fúss í húsi.

32.

Hríngskóðs[16] herði-meiðar[17]
hvar vita þann, er anni,

---

1) *hart skyndir nam hrinda*, *A.* 2) sic dedi; *styrlundr*, Cod. Byrg. 3) spjótrunns, id. *A.* 4) *mikill*, *A.* 5) *dýrligri*, *A.* 6) *und*, *A.* *) *sjónfagr svipstund eina*, *A.* 7) sic *A*; *jöfn*, Cod. Byrg. 8) *gat*, *A.* 9) sic conjeci pro *dverg regns*, Cod. Byrg. et *A.* 10) *dýrðar*, *A.* 11) *magnat*, *A.* 12) *fegri*, *A.* 13) sic dedi pro *skrúðr.* 14) *prýddr með skryddum*, *A.* 15) *dygðar*, *A.* 16) sic conjeci; *þíngskóðs*, Cod. Byrg. adversante metro. 17) ita dedi, svadente contextu, pro *meiða.*

merki dáðminnigs dreyr-serks Sköglar borðs skelfi-ríðar ský-bjóðs. Frágum styrlund harðleygs stirðra branda storms hrinda hvatlyndum Þorkatli fyrir borð á Orni.

Versio: Referam quarta gloriæ indicia herois, virtutibus clari, qui, cruentam loricam indutus, clypeum prætendit in impetuosa pugna. Accepimus, Thorketilem, animo promtum, e Serpente deturbatum a bellatore, fervescentis prælii duros ignes fortiter regente.

30.

Ordo: *Meingarðr margra jarða vann mikit spell; stillir sparðit skaða bótir dýrligrar skykkju spjótruðs. Guðvefr, ok grán skinn á hånum, gjörðist síðan jöfri senn jafn eða fríðri, á einni svipstund.*

Versio: Periculosus adversarius multarum terrarum magnum damnum attulit; sed rex non pepercit reparare damnum pretiosæ tunicæ pugnatoris. Sericum adsutæque canæ pelles, dein factæ sunt in manibus regis, statim momento temporis, æque spectabiles aut etiam pulcriores.

31.

Ordo: *Örrjóðr vann í ið fimta sinn bjartar jarteignir allra dáða; megnum dimt dvergs dreyra regn: Sigrgjarn, dýrðar fúss döglingr var sènn skrýddr, vænni sólu, í húsi með prýddum drottins englum.*

Versio: Rubefactor sagittæ, quinta vice, exhibuit splendida documenta omnium virtutum; augemus densum imbrem nani sangvinis: Victoriosus princeps, gloriæ cupidus, visus est ornatu indutus, sole pulcrior, in æde cum splendidis Domini angelis.

32.

Ordo: *Hvar vita herði-meiðar ellvellz*

ellvellz[1] annan stilli,
óð-ríkr[2] frama slíkum:
gunnelds geymi-runnum
göndlar[3] fýstr sem ek lýsta
(hirð var[4] hans at morði
hrugg) arfðegi Tryggva.

33.

Þengill þróttar ströngum
þeim bauð Kristr af heimi
byrtjallz[5] bestu heilli[6],
bragníngi guð fagni;
ygglaust alla þiggr
eljon-fimr á himnum
Olafr æzta sælu
ítr-bóls með gram sólar.

34.

Hermart hví kvæðum orti
hugdyggs of son Tryggva
handbáls hnykki-lunda
hreins, ok flokka eina.
Hallfreðr Hörða stilli
hríðöflgum vann smíðat
hjörgraps hugða drápu
hróðrargjarn ok Bjarni[7].

35.

Eigi einkar lága
ek fæ ena þriðjo,

---

1) sic scripsi; Cod. Byrg. *ellvelst* vel *ellvelk*, cfr. seqv. stroph. vers. 3. 2) sic dedi pro *óðr* (v. *eðr*) *ríkr*. 3) ita ego pro *göndla*. 4) it. pro *va*, Cod. Byrg. 5) sic dedi; *byrtjalk*, Cod. Byrg. 6) conject. pro *heilla*. 7) In Cod. Byrg. est *bjarin*, aperto errore.

hríngskóðs þann annan stilli, er óð-ríkr anni slíkum frama: sem ek göndlar fýstr lýsta arfðegi Truggva geymi-runnum gunn-elds; hirð var hrugg at hans morði. . .

Versio: ubi norunt vibratores igniti teli, loricis noxii, alium principem, qui præpotens talia facinora perficere queat? qualia perfecisse hæredem Tryggvii, pugnæ cupidum, coram gladii custodibus memoravi; aulici, eo cæso, dolore affecti sunt.

33.

Ordo: *Kristr, þengill byrtjallz, bauð þeim þróttar ströngum af heimi, bestu heilli: guð fagni bragníngi: Eljon-fimr Olafr þiggr ygglaust alla æzta sælu á himnum með gram sólar ítr-bóls!*

Versio: Christus, ventosi expansi moderator, hunc regem, fortitudine clarum, ex mundo, optimo omine, invitavit; deus principem propitius excipiat. Strenuus Olavus summam quamque felicitatem certo accipit in cœlis ab rege, qui splendidæ solis sedi præest.

34.

Ordo: *Hermart hnykki-lunda hreins handbáls orti of hví-kvæðum son hugdyggs Tryggva, ok eina flokka. Hallfreðr vann smíðat hugða drápu hjörgraps hríð-öflgum Hörða stilli, ok hróðrargjarn Bjarni.*

Versio: Permulti dispersores puræ flammæ manualis carmina composuerunt de filio animosi Tryggvii, omnimodo carmine celebrando, et sola quidem carmina breviora. Hallfredus de rege Hördorum, in impetuosa gladii procella strenuo, carmen intercalatum sincero animo composuit, nec non Bjarnius, artis poëticæ cultor studiosus.

35.

Ordo: *Hóps hyr-mörðr! ek fæ stærða hróðri*

hyrmörðr, hróðri stærða,
hóps[1], tvískelfda drápu:
slíkr háttr[2] (svâ mun ek vâtta)
sjallstundum verðr fundinn;
herr, prúðr hörvi, kvæða[3]
hafi gagn! en ek þagna[4].

1) sic ego pro *hófs*. 2) conjeci pro *hatr*. 3) vel: *kveða*.
4) mea conjectura pro *fagna*.

ena þriðjo, eigi einkar lága, tvískelfda drápu. Slíkr háttr verðr sjallstundum fundinn; svá mun ek vátta. Herr, prúðr hörvi, hafi gagn kvæða! En ek þagna.

Versio: Auri possessor! ego tertium carmen intercalatum, haud admodum humile, metro bitremulo confectum, poëtice elaboravi. Tale metri genus perraro invenitur; sic ego testor. Cœtus, lino ornatus, carminis utilitatem percipiat! Dixi.

Enodatio
vocum Rekstefjæ difficiliorum.

Conspectus argumenti: introductio, str. 1. gesta Olavi, antequam rex factus est, nempe expeditiones in Vindlandia, ut cædem patris in Anglia vindicaverit, Hiberniam et Scotam infestaverit; deinde ut regnum recuperaverit et ab infestis hominibus defenderit, str. 2-8. Sequuntur quinque classes versuum intercalarium, quarum prima agit de Olavo, ut religionis propagatore, str. 9-11; secunda, de ejus liberalitate, magnificentia, et expeditionibus in genere, str. 12-14; tertia, de expeditione in Vindlandiam, de prælio ibidem ad Svöldram cum tribus principibus commisso, et de impetu Olavi Svionum regis, in navem prætoriam frustra facto, str. 15-17; quarta, de irrito conatu Sveinis, Danorum regis, adversus Serpentem Longum, str. 18-20; quinta, de aggressione Eiriki dynastæ, qua Serpens devictus est, str. 21-23. Transitus ad ceteras regis virtutes describendas, str. 24, quales sunt: ars gladiolis ludendi et simul remis incedendi, str. 25; peritia scandendarum rupium, str. 26-28; corruptæ tunicæ in integrum restitutio, str. 29-30; commoratio cum angelis, str. 31. Laus et gloria Olavi regis, item mors, str. 32-33. De laudatoribus Olavi, et conclusio carminis, str. 34-35.

1. *Herr* sæpe multitudinem significat; *gnótt hers*, copia multitudinis, magna multitudo; *hrunda*, feminarum, h. l. veram lectionem arbitror, etsi ductus literarum *ru* in Cod. est paulo insolentior, tum quod suprascripta lineola sit abbreviatio literæ *n*, ut in str. 8. *vigrūr* scriptum legitur pro *vigrunnr*, et in hujus strophæ v. 7, *þigbaldr* ortum est ex *þīgbaldr* i. e. *þingbaldr;* tum etiam quod poëta in str. ult. feminas compellet, *herr, prúðr hörvi*, turba lino ornata. *Slëttr óðr*, carmen læve, i. e. poëtice exornatum, metaphora

a re fabraria desumta; sic Hallfredus: *Surts œttar vinn ek slèttan eylg*, et Einar Skulii in Radio, *slètta óð bragartólum*, carmen instrumentis poëticis dolare, i. e. poëtice exornare. Silentii postulatio in carminibus, vetustissimis poëtis usitata est, vide Edd. Snorr. 99, str. 5. 6; 100, 1. De voce *Rekstefja*, vide præced. Excursum, Cap. 3, pag. 8. *Randhvel*, rota circuli, orbis circulo pictus, i. e. clypeus; hujus *remmi-þundr*, deus clypei firmator, præliator dicitur, vel quod in prælio se strenue clypeo tueatur, vel quod iturus in prælium clypeum firmum ad excipiendos ictus reddat (Njal. p. 66); hac voce vero collective intelligit viros, quibus carmen suum recitavit. Idem sibi vult *skjaldar linna þíng-baldr*, quod in casu voc. accepi: nempe *skjaldar linni*, serpens clypei, est gladius, qui clypeum mordet, dissecat, hujus *þíng*, conventus, ubi res gladio geritur, pugna, cujus *baldr*, pugnator. Nisi malis *baldr* accipere pro dat. *baldri*, hoc ordine: *ek skal smíða lof friðum skjaldar linna þíngbaldri*, ut ad ipsum regem hæc appellatio referatur. Lectio Codicis, *skurumst*, et obscura est et metro repugnat, quare eam in versione omisi. Num legendum *ský-ranuz*, ɔ: *ský-ranns þróttar mildr*, cœlesti robore præditus? vel *ský-runns*, ɔ: *þróttar ský-runns mildr*, qui imbrem Odiniæ nubis (clypei) spargere amat?

2. *vegmildr*, qui gloriam sibi facile comparat, gloriosus, inclytus, ut *frægðar mildr*, Hkr. hist. Magni Nudip. c. 1. *mildr* enim in compos. significat eum, qui amat facere aliquid, ut *grátmildr*, qui facile in lacrimas solvitur. *Vörðr viðrar foldar* et *vellbjóðr*, appellatur h. l. Olavus Tryggvii, ob regiam dignitatem, postea acceptam, et liberalitatem; item *þróttar èla blik-ruðr*, bellator; *þróttar èla blik*, fulgor procellarum Odiniarum, est gladius, hujus *ruðr*, id. q. *runnr*, arbor gladii, præliator, gladium gerens, *Brigða mikill*, eximie magnus, permagnus; *brigða*, quod h. l. adverbialiter ponitur, proprie videtur esse gen. pl. *ts brigði*, n., usitatius *afbrigði* et *afbragð*, quicquid in suo genere excellens, a *bregða (við)* celebrare, (*of*, *um*) excellere.

3. *Hræ-linnr*, serpens cadaveris, gladius appellatur, sec. Edd. Snorr. p. 160, frequenti usu; ejus *hljómr*, sonitus gladii, pugna; hujus *váttandi*, testis

pugnæ, qui prælio præsens adest, pugnator. *Svölnis dómr*, judicium Odinis, pugna dicitur, cui arbiter præerat Odin, et *róma Svölnis dóms*, clamor pugnæ, pro pugna tumultuosa, ut *róma vâpna dóms*, Sturl. 7, 30, 2.

4. *Hjörgall*, sonitus ensis, dictum putavi secundum analogiam τῳ *reiðgall*. Sed præstat hanc semistropham sic legere et ordinare:

Fullsnart frœknu hjarta
friðr þengill lèt síðan
(hjör gall, höldar fèllu)
hefnd síns föðurs efnda.

ɔ: *Síðan lèt friðr þengill full-snart efnda hefnd síns föðurs frœknu hjarta: hjör gall, höldar fèllu*, i. e. ultionem patris sui exsecutus est (necem patris vindicavit): sonuit ensis, cecidere viri. Eodem modo Egla c. 27: *nú er hersis hefnd við hilmi efnd*; vide Excurs. Cap. 7, pag. 14-15.

5. *Sköglar eldr*, ignis Skögulæ (bellonæ), gladius, hujus *sker*, scopulus gladii, clypeus appellatur, quod scopuli instar munimentum præstat inter pugnandum adversus tela; sic *gygjar sker*, scopulus, securi objectus, clypeus dicitur, Hkr. hist. Ol. Sancti, c. 186, 4. it. *ógnar sker*, scopulus pugnæ, ibid. c. 248, 2. Ita, adjecto *baldr*, prodit bellatoris circumscriptio. *Frónband*, n, vinculum terræ, mare terram ambiens, oceanus; ejus *færi-öndr*, xylosoleas mobiles (naves) simili ratione dici puto, atque nunc vulgo *færi-kvíar*, *færilykkja*.

6. *Þund-regn*, imber, procella Odinis, pugna; *þund-règns dróttir*, præliatores, ut str. 10 *eggmóts menn*. *Býr* non solum de singulis oppidis et urbibus dicitur, ut Dan. *By*, sed et de tractu habitato, territorio; quam in rem afferre libet semistropham Eivindi Skaldaspilleris (*poëtarum confabulatoris*), de potentia Hakonis dynastæ, quam semistropham nobis servavit Fagurskinna:

þeim er austr — *brúðr Valtýss*
til Egða býss — *und bœgi liggr.*

ubi *Egða býr* est tractus, provincia, Agdensibus habitata. Hoc loco vero *býr* accipiendum in genere de loco, ubi quis se continet. *Hauk-jóð*, proles accipitris, accipiter, ut *heiðiss úngi* id. q. *heiðir* Egl. 55 3. Itaque *hauk-jóðs býr*, locus, in quo se continet

accipiter, familiari poëtis loquendi ratione, manus dicitur, et *gánga á hauk-joðs bý eins* idem quod *at gánga á hönd eins*, in partes alicujus transire. Eadem ratione in Hafgerdingadrapa dicitur, *at halda heiðis stalli of einum*, pro *at halda hendi yfir einum*.

9. *Sigrbrandr*, ensis victorius, arma victricia, ut *sigrflaust*, carina victrix, Ha. 318, 1. *sigrvefr*, tela victoriosa, Njal. 158, 2, a *sigr*, victoria, et *brandr*, ensis; vel simpliciter gladius, a *sigr*, quod in compositione interdum idem valere videtur ac *sig*, pugna, et *brandr*, ignis. *Herlundr*, columen exercitus, bellator, a *lundr*, quod de singulis arboribus sæpe usurpatur, confer *her-ruðr*, str. 14. De versibus intercalaribus, vide Excurs. pag. 6-8.

10. *Ek frá hans ríki, hildíngs, valda slíkum höppum*, sic construere visum est, cum pronomen *hann* non solum cum nomine proprio jungatur, ut in versu intercalari: *Hann, Olafr, var ríkstr konúngmanna*, quod in vulgari sermone frequentissimum est; sed etiam cum appellativis, ut hoc loco et str. 11, et Hkr. hist. Haraldi Imperiosi, c. 1, 1., ubi sic est: *hann, tiggi, tólf ok þriggja vetra gamall, skildist trauðr við Olaf dauðan, ok huldi hjálmsetr;* alterum exemplum vide mox ad str. 25. *Eggmót*, concursus, conflictus acierum (telorum), pugna; *eggmóts menn*, pugnatores, cfr. *Anvisning till Isländskan* §. 417, pag. 217-218.

11. *Gönnlar* (pro *Göndlar*) *þeyr*, tempestas bellonæ, pugna, cujus *el*, procella pugnæ, pugna impetuosa, hujus *skyndir*, qui impetuosam pugnam ciet, strenuus bellator. De constructione „*hann, hilmir*," &c vide str. 10. *Handviss*, qvi certa manu utitur, qui jaculando, feriendo non aberrat, occurrit etiam Hkr. XII. c. 24. h. l. *handvíst* n. certe, haud dubie.

23. Posterior semistropha alicubi mendo laborare videtur. Scribendum videtur *yppi-runnum* pro *uppi runnum*; nam *unneldr*, ignis maris, aurum, ejus *yppi-r.* præbitor auri, vir. *Heggja*, accepi pro *högg*, ictus, aut *eggja* (id. q. *egg*) acies; sed dubium est.

24. *Hjörflóð*, liquor gladii, sangvis, ejus *hnig-reyr*, mobilis ramus sangvinis, gladius; *slæm*, h. l. accipio pro *slæmi*, ob sequentem vocalem, acc. *ts slæmir*, vibrator, a *slæma (sverði)*, gladium vibrare. *Hnykki-meiðr*, qui quassat, h. l. vel absolute pro viro strenuo et forti sumendum, vel unacum *slæmir* ad idem

adjectum compositum *hjörflóðs hnig-reýrs* referendum. *Geysi-tíðr*, valde frequens, permultus. *Geira gnýr*, strepitus hastarum, pugna, ejus *bjóðr*, bellator, ɔ: rex Olavus.

25. *Göndlar gnýr*, strepitus Bellonæ, pugna, ejus *linnr*, gladius v. hasta, hujus *runnr*, præliator, h. l. vir. Subaudiendum est h. l. infinitivus *fremja*, ex altero membro, ubi occurrit imperf. *framdi*. Talis ellipsis haud inusitata est: Hkr. hist. Olavi Tranqv. c. 9, 5:

> *Olafr gefr svâ, at jöfra*
> *alls eingi má snjallra,*
> *höggvit gull til hylli,*
> *hildinga konr nildi.*

Sic enim legendum, secundum Hrokkinskinnam, nam *galli*, quod in versu 2do pro *alls* habet Ed. Havn., consonantiam literarum metricarum turbat. Ordo vero est: *Olafr, (hinn) mildi hildinga konr, gefr, svâ höggvit gull til hylli, at alls eingi snjallra jöfr má* (ɔ: *gefa svâ*), ɔ: Olavus, munifica regum progenies, sectum aurum ad gratiam civium conciliandam sic donat, ut nemo omnino inclytorum regum tantum possit donare. Alterum exemplum exstat hist. Magni Boni, cap. 1, 5.

> *Hún hefir svâ komit sínum*
> *(sönn), at fá man önnur,*
> *(orð gjörig drós til dýrðar)*
> *djúp-ráð kona stjúpi.*

Quæ semistropha, sec. Ed. Havn. Tom. 3, sic recte resolvitur: *hún, djúpráð kona, hefir svâ komit sínum stjúpi, at fá önnur man* (ɔ: *koma svâ*). *Flein-rjóðr*, rubefaciens telum, vir; compellat poëta auditores. *Skjalda hýr*, flamma clypeorum, gladius; ejus *baldr*, præliator, de rege Olavo. *Gánga at árum*, per remos incedere; ut *gánga at höfðum bragna*, per capita virorum incedere, quemadmodum legendum est supra Vol. 1, cap. 56, str. 4.

26. *Sá*, vidi; sed præferendum *frá*, audivi, quod habet *A. Valstafns rofna*, bifariam accipere licet; nempe vox prior pronuntiari potest autut *val-stafns*, aut ut *vals-tafns*, a *valr*, accipiter, et *stafn* vel *tafn*. *al-stafn*, statio accipitris, est manus, et proinde *val-stafns rofinn*, manu debilis, viribus infirmus; *vals-tafn*, præda accipitris, cadaver, quod meton. pro strage accipi potest,

et *vætki valstafns rofinn*, in strage edenda haud imbecillis, bellicosus. Prius præfero. *Snyrtir hjörva*, qui gladium splendidum facit, ornat, præliator, h. l. satelles.

29. *Dreyr-serkr*, pro adjectivo accepi, qs. *dreyr-serkjaðr*, cruentam loricam indutus, a *serkr*, tunica, it. lorica. Sic *bláserkr*, pro *bláserkjaðr*, livida lorica indutus, occurrit in carmine pervetusto, Edd. Snorr. pag. 145, str. 4. et *gránserkr* pro *gránserkjaðr*, cana tunica indutus, ibid. p. 126 str. 3. *Stýrrlundr*, vir acer, nisi malis accipere pro *stýrilundr*, qui regit, rector. *Harðleygr*, ignis durus, et *harðl. stirðra branda storms*, dūrus ignis asperorum gladiorum tempestatis (pugnæ), durus gladius. De Thorkele Dyrdile vide Excurs. §. 9.

31. *Dvergs dreyri*, sangvis nani, de poësi intelligo, secundum Edd. Snorr. pag. 100. 83-84. *dimt regn*, obscurus imber, adeoque de large fluente vena poetica. *Megna*, h. l. id. q. *magna*, augere.

32. *Hringsköð*, noxa loricæ, gladius, qui h. l. epithetum obtinet *ellvellr* v. *ellveldr* pro *eld-veldr*, igne coctus, fabricatus; *ell* enim idem valet ut *eld*, ut *ellri* pro *eldri* natu major; *vellr* pro *veldr*, part. pass. v. *vella*, coquere, quod verbum extat in hist. Thorfinni Karlsefnii c 8, str. 2, in Spec. Reg. et Hkr. OH. c. 247. *Herði-meiðr*, qui incitat; sic *herði-meiðr ellvellz hríngsköðs*, qui ensem, igne fabricatum, loricisque noxium, incitat et vibrat, pugnator est, qui h. l. pro viris in universum adhibetur. *Oð-ríkr*, prædives, conjungendum putavi, ad analogiam *rs óð-harðr*, prædurus, Orkn. 5, 4., ut *óð* in compositione intensivum sit, unde *æði* (*Anvisn. till Isl.* pag. 179). *Göndlar fýstr*, pugnæ cupidus, mallem referre ad *arfðegi* aut ad *Tryggva*, quam ad ipsum poëtam, ut in Textu est, itaque reponendum puto aut *fýstum* vel *fýstan* (duplex enim esse potest constructio), aut *fýsts*, aut denique in nom. *göndlar-fýst*, ut referatur ad *hirð*, quod forte verissimum est. Sed sententia duplici modo construi potest, dum *arfðegi* tam pro dativo, quam pro accus. accipi queat, et vocula *sem*, pro adverbio vel relativo. Secundum priorem rationem hanc semistropham in ordinem redegi. Ordo est: *anni slíkum frama, sem ek lysta gunnelds geymirunnum, arfðegi Truggva* (ɔ:. *annat hafa*), quam constructionem in vers. expressi. *Arfðegir* id. q. *arfþegir*, qui accipit hæreditatem, hæres, sæpe pro filio.

33. *Byrtjallz* pro *byrtjalds*, a *byr-tjald*, tentorium venti; quod poëtis cœlum dicitur, ejus *þengill*, deus Potes quoque sic voces construere: *Kristr, þengill byrtjalls, bauð þróttar-ströngum bragningi af heimi; guð fagni (honum) bestu heilli. Eljonfimr,* propr. perferendis laboribus adsuetus. *Itr-ból*, sedes illustris, splendida, unde *ítr-ból sólar*, cœlum, hujus *gramr*, deus.

34. *Hnykki-lundr*, id. q. *hnykkir* v. *hnykkjandi*, qui dispergit. *Handbál*, flamma manus, annulus aureus. Junxi *hvíkvæðr*, et pro adjectivo accepi, quamvis insolentiore compositione; confer voculam *hvar*, quæ non paucis adjectivis præfigitur, locum vel rem significans: sic *hvi*, modum et rationem. Nolui enim sic construere: *hví orti hermart hnykki-l. hreins handb. of son hugd. Tryggva (í) kvæðum, ok flokka eina? Hjörgrap*, procella gladii, pugna, ejus *hríð*, impetus pugnæ, acre prælium. De Bjarnio vide Excurs. §. 7, p. 12-13.

35. *Hóp*, mare, adfert Edd. Sn. p. 217, var. 5 (quod pro *hof* restituendum) inter maris appellationes; ejus *hyrr*, aurum. De voce *mörðr* h. l. valde dubito, et scribendum puto *njörðr*; de voce *tvískelfdr* vide Script. Hist. Isl. Vol. 2, pag. 296-7 et Excurs. §. 4. p. 9-10. *Herr, prúðr hörvi*, cœtus, lino ornatus, sunt feminæ, recitatum carmen audientes. Sic *hörvi glæst*, lino splendida, femineum epithetum est apud Kormakum, hujus Vitæ cap. 3, str. 3. *Ek þagna*, restitui prò *ek fagna*, cum videam Einarem Skulii in Radio eadem formula carmen suum concludere.

Chronologia.

961. Natus Ormus Storolfi f.
972. Natus Thorleivus Dynastarum poëta.
973. Initium regni Adalradi, Angliæ regis. cap. 285.
977. Ivar Ljomius in Islandiam venit, ibique hiemat.
978. Natus Thorstein Bovipes.
990. Thorstein Bovipes in Norvegiam trajicit, ibique duas hiemes agit.

991. Ormus Storolfi f. in Norvegiam navigat.
992. Sveinn Tjuguskeggus regnum Daniæ accipit. c. 256.

— Hakon Dynasta navem Thorleivi Dynast. poëtæ comburit. Pridie festi Iolensis Thorleivus exsecrationem in Hakonem pronuntiat. Thorstein Bovipes in Islandiam redit, ubi agit usque ad 995.

993. Thorleivus Dynast. poëta in Islandiam redit. Expeditiones piraticæ Ormi Storolfi f. et Asbjörnis Elegantis.

994. Cœdes Thorleivi Dynast. poëtæ.
995. Ormus in Islandiam redit, mors Asbjörnis Elegantis. Fratres Thorleivi Dynastarum poetæ necem ejus ulciscuntur.

996. Gigantes in sylva Heidensi interfecti.
998. Thorstein bovem sacrum necavit, gigantes devicit. Ormus Storolfi in Norvegiam trajicit, Brusium enecat.

999. Ormus Storolfi Romam peregrinatur.
1000. Ormus post pugnam Svöldricam Roma in Daniam redit.

— 5to id. Sept. prælium Svoldrense. Obit Thyria regina; moritur Otto 3, Germaniæ rex, succedente Henrico, cap. 256. Regnum Norvegiæ inter victores dividitur, c. 260. Hallfredus in Islandiam redit, c. 264.

1001. Lites Hallfredi et Grisis in conventu Hunavatnensi. Cædes Galtii, Ottaris filii. Peregre profectus Hallfredus, initio hiemis Norvegiam attingit, et apud Thorleivum Sapientem hiemem transigit, c. 264.

1002. Hallfredus in Islandiam remeat.
1003. Oratio Sigurdi episcopi ad Svecos.
1005. Historia Olavi regis regi Adalrado missa, c. 269.

1009. Ob. Sveinn Tjuguskegg in Anglia. Adalradus regnum Angliæ recuperat, c. 265.

1011. Ob. Adalradus, Angliæ rex annos 38, succedente Jatmundo, c. 265. 285. Canutus Potens exercitum in Angliam transmittere parat, c. 266.

1012. Canutus Angliam cum exercitu invadit et per octo annos cum filiis Adalradi bellum gerit usqve ad 1020, cap. 266. 285. Eirikus dynasta in Angliam proficiscitur, tradito regno filio Hakoni, c. 266.

1013. Eirikus dynasta, transacta una hieme in Anglia, sub autumnum obit, c. 266.

1014. Olavus Sanctus Norvegiam adit, capit Hakonem dynastam Eiriki filium, c. 270.

1015. Pugna Nesica inter Olavum Sanctum et Sveinem Hakonis f. Dominica palmarum. Autumno Sveinn dynasta morbo moritur. Olavus Stus. rex fit Norvegiæ, c. 270.

1016. Compositio inter Erlingum et Olavum Stum, c. 272.

1020. Canutus Potens, Angliæ regno potitus, 16 annis imperat, c. 285.

1025. Legatio Canuti, Daniæ regis, ad Olavum Sanctum, Tunsbergi residentem. Olavus Stus Sarpsburgi hiemem agit; conventus Olavi Sti et Önundi Svionum regis in Gothalbi.

1026. Olavus Sanctus Vikiam repetit, hiemem Nidarosiæ agit.

1027. Erlingus ad Canutum transit. Olavus Stus & Önundus agrum Danicum populantur. Olavus Stus. Sarpsburgi agit ultra festum Jolense. Autumno Erlingus cum legatis Canuti Norvegos ad defectionem sollicitat.

1028. Olavus rex in Upplanda, deinde in Vikiam se confert, Tunsbergi diu agit. Prima æstate Canutus classe 1200 navium Norvegiam sibi subjicit, cui Hakonem Eiriki f. præficit. Festo St. Thomæ occumbit Erlingus ad Boknam, c. 276.

1029. Olavus Stus e Norvegia in Nærikiam concedit, ubi diu commoratur. Æstate comparatis navibus Gardarikiam adit, ubi hiemem agit.

1030. Olavus Stus, relicto in Gardarikia Magno filio, vere per Sveciam in Norvegiam redit. Pugna Stiklastadensis, ob. Olavus Stus. Sveinn Alfifæ filius regnum Norvegiæ occupat.

1033. Tryggvius Olavi f. cum Sveine Alfifæ filio ad Boknam confligit et prælio cadit, c. 287.

1034. Einar Thambarskelfir Gardarikiam adit, Magnum Olavi f. reducturus.

1035. Magnus Bonus Norvegiam adit. Sveinn Alfifæ f. fugit. Magnus regnum Norvegicum duodecem annos tenet ante adventum Haraldi, cfr. c. 282. 283.

1036. Post Canutum Angliæ præest Haraldus Canuti f. ad annum 1039.

1039. Post Haraldum Canuti Angliæ præest Hörda-Knutus duos annos ad 1041.

1041. Jatvardus Bonus rex Angliæ creatus.

1047. Haraldus Severus regni cum Magno Bono particeps fit. Gautus Olavum in Syria convenit.

1048. Magnus bonus obit, c. 282.

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM IN TRIBUS HISTORIÆ OLAVI TRYGGVII FILII VOLUMINIBUS OCCURENTIUM.

Emendanda et addenda. Vol. 1. Pag. 3, lin. 30, tecto *lege* lecto. p. 10, not. l. 4, *seiðir*, *l. seiðr*. p. 11, l. 30, cæcis *l* cæsis. p. 11, l. 33, terebatur *l.* ferebatur. p. 19, l. 1, cum *l.* eum. p. 21. l. ult. sensus *l.* census. p. 28, not. l. 15, conere *l.* canere. p. 29, not. l. 29, conjectum *l.* conjectura. p. 29, not. l. 31, unum *l.* una, p. 29, not. l. 38, accipis *l.* accipio. p. 30, not. l. 12, *gell l. geil.* p. 30, not. l. ult. asulæ *l.* assulæ. p. 31, not. l. 1, post „equus" adde: assularum frontalium, i. e. navis. p. 35, not. l. 9, sacras *l.* sacra. p. 35, not. l. 23, bullorum *l.* bullarum. p. 36, l. 25, 31, 36, christjana &c. *l.* christiana &c., quod mendum in talibus vocibus semper in sequentibus perperam irrepsit. p. 50, not. l. 2, *vèr l. ver.* p. 53, l. 13, liberato *l.* librato. p.

64, not. l. 29, sc. *l.* si. p. 64, not. l. 30, hoc *l.* hac. p. 66, not. l 14, *frami l. fram.* p. 68, l. 25, secircum stipare *l.* se circumstipare. p. 70, l. 8, for iter *l.* fortiter. p. 71, not. l. 22, παρέλκει *l.* παρελκει. p. 72, not. l. ult. *tug l.* týg. p. 79, not. l. 3, μεγαλωπραγμων *l.* μεγαλοπραγμων. p. 84, *l.* 10, πολυκρυσος *l.* πολυχρυσος. p. 91, l. 3, comi er *l.* comiter. p. 112, l. ult. ipse *l.* ipso. p. 114, not. *l.* 26, accerrimum *l.* acerrimum. p. 122, not. l. 16, *afbrygða l. afbrigði.* p. 127, l. 13, Mestis *l.* Metis. p. 136, l. penult. Sluem *l.* Sleum. p. 146, not. l. 17, post „*leggja saman*" addendum *randir.* p. 147, not. l. 10, Edda *l.* Ed. p. 148, not. l. 21, þ*ekktu l.* þ*ekktust.* p. 169, l. 1, numem *l.* numen. p. 182, l. 33, concilium *l.* consilium. p. 183, l. ult., Meninit *l.* Meminit. p. 186, l. penult., hersibus *l.* heroibus. p. 192, l. 6, Pugna *l.* Pugnæ. p. 195, not. l. ult., incdentes *l.* incidentes. p. 199, not. l. 21, esseputo *l.* esse puto. p. 223, not. l. 18, reversetur *l.* recensetur. p. 251, l. 30, subtegerat *l.* subegerat. p. 271, not. l. 1, βαθυκλονιος *l.* βαθυπλουτος. p. 288, l. 7, oravi *l.* oravit. Vol. II. Pag. 1, lin. 5, Sognii, rectius, in Sognio. p. 31, l. 33, sequar *l.* utar. p. 33, l. 3, serere, *l.* gercre. p. 41, not. l. 4, 181, *l.* 18. p. 67, *l.* 21. meticolosum *l.* meticulosum. p. 154, l. 15, baptismo, *l.* baptismi. p. 158, l. 27, Raudabjarnii *l.* Raudabjörnis. p. 158 l. 28, Svinaskardi *l.* Svignaskardi. p. 162, l. 4, Thorere *l.* Thoreri. p. 164, not. l. 1, præcedentis *l.* procedentis. p. 176, l. 15, patrem, rectius, a patre. p. 190, not. ad l. 3, forte potius sic ordo instituendus: *er-at mínligt* (v. *mínlikt*), *ráfáka rœki, gíra at flugu* &c ɔ: meum non est, i. e. meæ prudentiæ non convenit, inhiare muscæ. Sic *mínlikt*, pro *mèr likt*, vide hujus vers. cap. 228, p. 223, et loc. ibi citatum; tum, *ráfáka rœki*, ad Thorvaldum referri potest. p. 199 l. penult. & 200, *l.* 6. epos restitutionis, vel vertendum, carmen de resurrectione, cfr. Vitam Gunnlögi Vermilingvis, ed. Havn. p. 125. p. 207, l. 3, poeta *l.* poëta. p. 213, l. 1, post „verus" adde „est". p. 225, l. 11, perpegerunt *l.* pepigerunt. p. 236, l. 30, Hic, *l.* Hi. p. 280, l. ult. *reitir*, rectius, qui movet, provocat, allicit. p. 284, l. 31, accedente *l.* accedenti. p. 298, l. 24, e latere *l.* elatere. p. 304, l. 16, *veðiss l. vídiss.* p. 308, l. 30, deleatur: „vix recte". p. 319, l. 25, males *l.* malleo. p. 324, l. penult. adde: Fagurskinna h. l. legit: *litt var Sifjar sóti* &c. forte *Sif*, uxor Thoris, giganteæ fuit originis, quemadmodum certe Járnsaxa fuit; unde *Sifjar sóti*, lupus. In Edda Snorr. Sif non recensetur inter gigantides. Vol. III. Pag. 2–16 in margine superiori K. *l.* C. p. 16, l. 21–22, pe-rinde *l.* per-inde. p. 31, l. 12, hoc *l.* hos. p. 67, l. 7, sector[1] *l.* sector[1]). p. 87, l. ult., detractabo *l.* detrectabo. p. 207, l. 23–24, poststremo *l.* postremo. p. 228, l. 14, *til l. till.* p. 230, l. 12, *tvíshælda l. tvískælda.*

1. Genus dynastarum Orcadensium.

Eystein *Glumra*

- **Rögnvaldus**, dynasta Mæriæ; 1o ex uxore Hilda Hrolfi f. . . . . 2o ex concubina
  - (1o) **Ivar.**
  - (1o) **Gaunguhrolfus**, Dux Normandiæ,
    - Kadlina
      - Nidbjarga, m. Helgius Ottaris f.
  - (1o) **Thorer Tacitus**, dynasta Mæriæ, ux. Olava Haraldi pulcric. f.
  - (2o) **Halladus.**
  - (2o) **Hrollaugus**
    - Ösur Keilisel, ux. Groa f. Thordi Illugii filii.
      - Thordisa
        - Hallus de Sida, ux. Joreida Thidrandi f.
          - Egil
            - Thorgerda
              - Jon episc. Sanctus. † 1121.
          - Thorstein
            - Gudrida
              - Joreida
                - Arius polyhistor. † 1148.
            - Magnus
              - Einar
                - Magnus episcopus † 1148.
          - Thorvardus
            - Thordisa
              - Jorunna
                - Hallus presbyter.
                  - Gizur
                    - Magnus episc. Skalh. † 1236.
          - Thorgerda
            - Yngvilda
              - Ljotus
                - Jarngerda
                  - Valgerda
                    - Bödvar
                      - Gudnya m. Hvamm-Sturla
                        - Sturlæsonii
          - Yngvilda
            - Thoreya
              - Sæmundus polyhistor. † 1133.
  - (2o) **Torv-Einar**, dynasta Orcad.
    - Arnkel.
    - Erlendus.
    - Thorfinnus *Craniseca*
      - Lödver, ux. Edna, f. Kjarvalis Hiberniæ regis.
        - Sigurdus Crassus
          - Hvelpius vel Hundius.
      - Arnfinnus. Havardus. Ljotus. (Horum unius post alterum uxor fuit Ragnhilda, Eiriki Blodaxæ filii.)
      - Skulius.
      - *filia.*
        - Einar Klinin-gus.
      - *filia.*
        - Einar τραχυστομος.
    - Hlifa
      - Thorgerda, m. Skeggius Thorgeiris f. (6, η)
- **Sigurdus**, dyn. Orcad.
  - Guttormus, dyn. Orcad.

2. Genus Ketilis *Silonis*

- Eylaugus, Dux Sogni
  - Thorgerda
    - Hervara
      - Vedurgrimus
        - Björn Buna, dux, ux. Velauga
          - Hrappus
            - Thordus *Barbo* ux. Vilborga Osvaldi filia
              - Helga, mar. Ketilbjörn Grandævus (6, β)
            - Örlygus Grandævus
              - Valthjovus
                - Thurida, m. Hrolvus *junior* (δ)
          - Helgius
          - Ketil *Silo*, ux. Ingvelda
            - Jorunna Mannvitsbrekka, m. Thorstein,
              - Ketil Stultus
                - Asbjörn
                  - Surtus
                    - Sighvatus, Prætor
            - Björn *Orientalis*.
              - Ottar
                - Helgius, ux. Nidbjarga neptis Gaunguhrolvi (1)
                  - Osivus, ux. Thordisa, Thorolvi *humilis* de Medalfellstranda.
                    - Thorolvus.
                    - Askel.
                    - Torradus.
                    - Vandradus.
                    - Ospakus.
                    - Gudruna, mariti: 1o Thorvaldus f. Haldoris pontificis, 2o Thordus Ingunnæ filius (γ) 3o Bollius Thorleiki f. (3) (4o Thorkel Eyolvi filius, v. Laxd.)
            - Thorunna Hyrna m. Helgius *Macer* (6, ϑ).
            - Helgius Bjola
              - Eylivus
                - Thorgils
                  - Steiner
            - Auda βαθυπλουτος mar. Olavus *Albus* (α)
              - Thorstein *Rufus*, ux. Thurida, f. Eyvindi Austmanni.
                - Groa.
                - Olava. unde Götu-Skeggii (ε)
                - Oska.
                - Thorhilda.
                - Vigdisa.
                - Olavus Feilan. ux. Asdisa de Barreya (β)
                - Thorgerda, mariti: 1o Kollus (3) 2o Herjolvus Eldi filius
                  - Hrutus de Kambneso

(ε)

- Olava, f. Thorsteinis Rufi (2) (*pater*)
  - Thorbjörn Götuskegg, ux. Gudruna.
    - Thrandus de Gata.
    - Thorlakus.
  - Sigmundus
    - Brester.
      - Sigmundus, ux. Thurida (ξ)
        - Thora.
    - Beiner
      - Thorer.

(α) genus Olavi *Albi*

- Halfdan *Albipes* regulus Upplandorum.
  - Gudrödus.
    - Helgius
      - Ingjaldus
        - Olavus *Albus* ux. Auda *prædives* (2)

(β) genus Asdisæ, uxoris Olavi Feilanis.

- Ölver Barnakall (*infantarius*)
  - Steinmodus
    - Konal
      - Asdisa, mar. Olavus Feilan (2)

(η)

- Steingrimus Upplandus.
  - Thorkel *Siccigelus*, ux. Ragnhilda Thoralvi filia.
    - Thurida, mar. Sigmundus Bresteris f. (ε)

(γ) genus Thordi Ingunnæ filii.

- Geirius
  - Glumus, poëta, ux. Ingunna.
    - Thordus Ingunnæ f. ux. Gudruna Osvifi f. (2)
      - Thordus *Catus*
        - Stufus, poëta.

(δ) genus Illugi *Rufi*.

- Ketil Kjölfarius.
  - Rolvus
    - Gunnlögus
      - Thorer
        - Grimus Halogus ux. Svanlöga Thormodi f.
          - Ulvus
            - Hrolvus dives
              - Haldora, mar. Gizur *Albus*
                - Vilborga, mar. Hjaltius Skeggii f.
            - Hroaldus
              - Hrolvus *junior* ux. Thurida Valthjovi f. (2)
                - Illhugius *Rufus*
                  - Haldor

3. Genus Laxdalensium.

Asius, Dux.

Vedrargrimus.

Kollus (Dalakollus), ux. Thorgerda, Thorsteinis *Rufi* filia (2).

- Thorkatla, mar. Thorgeir pontifex.
- Groa, mar. Veleivus *Priscus* (v. *Grandævus*)
- Höskuldus
  - 1o ex uxore Hallfrida, f. Thorbjörnis de Vatno in Haukadalo *)
    - Hallgerda, mar. Gunnar de Hlidarendo
    - Thorleikus, ux. Thurida Arnbjörnis f. (α)
      - Bollius, uxor Gudruna Osvivi f. (2)
  - . . . . 2o ex concubina Melkorka, f. Myrkjartanis Hiberniæ regis
    - Olavus *Pavo* ux, Thorgerda Egilis f.
      - Kjartan, ux. Hrefna, Asgeiris Ædikolli f. (4)
        - Asgeir. Skumus
      - Thurida mar. Gudmundus Sölmundi filius (8).
        - Bardius. Hallus
      - Egil. Haldor. Steinthor. Thorbergus.

(α) Genus Thorvardi Asensis.

Gormus, dux Svecus, ux. Thora, f. Eiriki Uppsaliæ regis

Thorgils, ux. Helena, f. Ingigerdæ et Burizlavi, Moscoviæ regis

Herfinnus.

Groa, mar. Hroar.

Slettubjörn

- Arnbjörn
  - Thurida, mar. Thorleikus Höskuldi f. (3)
- Arnfrida, mar. Spakbödvar Øndotti f.
  - Arngeir.
  - Thordus.
  - Thorvardus, qui sacram ædem Ase ædificavit 984.

---

*) Laxdæla uxorem Höskuldi nominat Jorunnam Biörnis filiam; sed neque Landnama hac in re sibi constat.

4. Genus Vididalensium.

- Ragnar Lodbrok
  - Olava, mar. Hundasteinar, dyn. Anglicus.
    - Björn
      - Audun Skökul
        - Thorgrimus Hærukollus (*canniceps*)
          - Asmundus *Longicanus*
            - Gretter *Robustus*
        - Thora *)
          - Hallus *)
            - Ulvhilda mar. Gudbrandus Kula
              - Asta, mar. Haraldus rex Grænlandus
                - Olavus Sanctus, Rex Norvegiæ.
        - Asgeir Ædikollus (*plumiceps*) ux. Jorunna, Ingimundi *Prisci* filia (*a*)
          - Audun
            - Asgeir.
              - Audun
                - Egil, ux. Ulfeida Eyulvi *Claudi* f. (7)
                  - Eyolvus
                    - Ormus, Capellanus Thorlaci episcopi.
          - Thorvaldus
            - Dalla, mar. Isleivus episc.
              - Gizur episc.
          - Thurida, m. Thorkel Kuggius, f. Thordi Gelleris
            - Thorstein Kuggii f.
          - Hrefna. uxor Kjartanis Olayi f. (3)
          - Kalvus.

(*a*)

- Ingimundus *Priscus*
  - Jorunna, m. Asgeir *Plumiceps*(4).
  - Thorstein.
    - Ingolvus, Gudbrandus.
  - Jökul

*) Landnama p. 184, & Mantissa ejusd. p. 384, pro "*þóra móðir Halls,*" legit "*þóra Mosháls,*" excluso Hallo, quod generationum seriei accommodatius videtur; et potuit quidem hæc lectio, siglis male intellectis, in illam transire.

5. Reges Daniæ, et subreguli Jotiæ (ϵ)

- Moalda *Crassa*
  - Ivar *Longimanus*
    - (Auda)
      - 1o Haraldus *Bellidens*
      - 2o Sigurdus *Anulus*
        - Ragnar *Hirsutibracca*
          - Ivar *Exos*, Rex Northumbriæ
          - Hvitserkus, Rex Jotiæ et Vendiæ
          - Sigurdus *Angvioculus*, R. Daniæ, uxor Blæa, Ellæ regis f.
            - Knutus Hördensis Rex Daniæ
              - Gormus *Grandævus*, Rex Daniæ. ux. Thyria, f. Haraldi Klakki, Jotiæ dynastæ.
                - Haraldus *Cærulidens*. Rex Daniæ.
                  - Thyria, mariti: 1o Burizlavus (γ) 2o Olavus Tryggvii f.
                  - Svein *Furcobarbus*, Rex Daniæ. ux. 1o Gunnhilda (γ) 2o Sigrida *Magnifica* (δ)
                    - Knutus Potens R. Daniæ
                    - Haraldus
                - Knutus, *Amor Danorum*,
                  - Gullharaldus.
          - Björn *Ferrilatus*, Rex Sveciæ. (α)
          - Olava, m. Hundasteinar, dyn. Anglicus, (β).
- *frater*
  - Kinrikus
    - Olavus, subreg. Northumbriæ et Jotiæ, regibus Sigurdo *Anulo* et Ragnare *Hirsutibracca*
      - Grimus *Griseus*, subreg. Jotiæ, rege Ragnare Hirsutibracca
        - Audulvus *Robustus*, subreg. Jotiæ.
          - Gormus *Stultus*, subreg. Jotiæ.
            - Knutus *Inventus v. Servorum*, Arnfinni Holsatiæ dynastæ filius, a Gormo *Stulto* adoptatus
              - Gormus, rege Sigurdo *Angvioculo*.

(α) Genus Arnoris *Vetulænasi*.

- Björn *Ferrilatus*, Rex Sveciæ.
  - Aslakus
    - Hroaldus Hrukus
      - Björn Byrdusmjör
        - Thordus de Höfdio, ux. Thorgerda, filia Thoreris Himæ et Fridgerdæ, Kjarvalis Hiberniæ regis filiæ
          - Fridgerda, mar. Thorarin de Hvammo
            - Skeggius.
          - Herdisa m. Atlius Eylivi (γ)
          - Björn, ux. Thurida, filia Revi de Bardo
            - Arnor *Vetulænasus*.

(β) vide 4, Genus Vididalensium.

(ϵ) reguli Jotiæ.

- Godefridus, rege Carolo Magno;
  - ⋮
  - Reinfredus
  - Sigfrödus
  - Hringus
  - Haraldus c. 826 . . . . . *frater*
    - Harekus † 862 . . . . . *frater*
      - Guttormus
  - Harekus
  - Sigfrödus
  - Halfdan
  - Frodius, c. 930
  - Helgius
  - Gyrdus
  - Knutus
  - Siggeir
  - Gnupa } sub Gormo
  - Silfraskallius } *Grandævo*.
- *frater*
  - Hemingus

(γ) Burizlavus, R. Vendiæ ux. Thyria Haraldi f. (5) Ex incerto connubio natæ:

- Geira, m. 1o rusticus. 2o Olavus Tryggvii f.
- Gunnhilda, m. Svein Furcobarbus (5)
- Astrida, m. Sigvaldius dynasta (14)

(δ) Tostius, Svecus

- Ulvus
  - Rögnvaldus, dyn. Gothiæ occidentalis, ux. Ingibjarga Tryggvii f. (6)
- Sigrida *Magnifica*, mar. 1o Eirikus *victoriosus*, R. Sveciæ. 2o Svein Furcobarbus R. Daniæ.
  - 1o Olavus Rex Sveciæ.

6. Genus Haraldi *pulcricomi*.

Halfdan *munificus et cibi parcus*

Gudrodus *auceps*, ux. Asa, Haraldi Barbarossæ, Agdarum regis, filia.

Halfdan *niger*, ux. Ragnhilda (α)

Haraldus *Pulcricomus*

1) ex Gyda, Eiriki Hördiæ regis filia
Guttormus. Hrærekus. Gudrödus.

2) ex Asa, Hakonis Grjotgardi f. (β)
Halfdan *Niger*. Halfdan *Albus*. Sigrödus.

3) ex Hilda (Svanhilda), Eysteinis Heidmarkiæ R. f.
- Olavus.
  - Tryggvius ux. Astrida (γ)
    - Astrida, mar. Erlingus Skjalgi f. (δ)
    - Olavus, R. Norvegiæ, ux. 1) Geira (5, γ). 2) Gyda. 3) Gudruna Skeggii Yrjensis f. (6 ι.) 4) Thyria (5)
      - ex 2a, Tryggvius. ex 4a, Haraldus.
    - Ingibjarga, m. Rögnvaldus Ulvi filius (5, δ).
- Frodius. Thorgilsus. Tryggvius.
- Björn
  - Gudrödus
    - Haraldus Grænlandus, ux. Asta Gudbrandi f. (4)
      - Olavus *Sanctus*, Rex Norvegiæ

4) ex Thora Mostrstanga.
Hakon *Bonus* R. N.
Thora.

5) ex Alfhilda f. Hringi Dagi f.
Dagus. Hringus. Ragnar Rykkil.

6) ex Snjofrida
Halfdan *Alticrus*. Gudrodus *Splendor*. Rögnvaldus *Rectipes*. Sigrödus Hrisius.

7) ex Ragnhilda, Eriki Jotiæ Regis filia
Eirikus Blodaxa R. N. ux. Gunnhilda (ε).
- Haraldus Grafeldus, R. N. Guttormus. (Erlendus). Sleva. Gamlius. Ragnfrödus. Gudrödus. Erlingus. Sigurdus. Ragnhilda (1).

8) ex matribus incertis, vide (ζ)

(α)
Sigurdus *Fafnericida*
- Aslauga, mar. Ragnar *Hirsutibr.*
  - Sigurdus *Anguioculus*
    - Aslauga
      - Sigurdus *Cervus*
        - Guttormus, Dux.
        - Ragnhilda, m. Halfdan *Niger*.

(β)
Hakon Grjotgardi filius
- Grjotgardus.
- Asa, mar. Haraldus Pulcricom.
- Æsa, mar. Ketil Naumudalensis
  - Ketilbjörn *Grandævus*, ux. Helga (2)
    - Teitus, ux. Olava (6, γ).
      - Gizur *Albus*
        - Vilborga, mar. Hjaltius Skeggii (6, η)
- Sigurdus, dyn. Hladensis, ux. Bergljota (6, ζ)
  - Hakon, dyn. Hladensis.
    - Eirikus, dyn. Svein, dyn. Erlingus. Erlendus. Bergljota, m. Einar *Arcitenens* (6, ι)

(γ)
Vikinga-Karius *)
- Bödvar
  - Olava, m. Teitus (6, β)
    - Gizur *Albus*
      - Vilborga, m. Hjaltius Skeggii. (6, η)
- Eirikus Bjodaskallius
  - Sigurdus. Thorkel 1o Tryggvius
  - Jostein. Dyrdil. (6).
  - Karlshöfud. Astrida; mar. 2o Lodin, ex quo nati
    - Thorkel *Naso*. Ingirida et Ingigerda, mariti: Thorgeir et Hyrningus
- Vigfus de Vorsia
  - Astrida, m. Eyulvus Hruga (6, ϑ)
    - Glumus *Homicida* (6, ϑ)
      - Vigfus.
    - Helga, mar. Steingrimus de Sigluvika.
      - Thorvaldus Tasaldius.

(δ)
Hörda-Karius (Karius Hördensis).
- Thorleivus. *Sapiens*
- Ögmundus
  - Thorolvus *Strabo*
    - Erlingus Skjalgi f. de Sola, ux. Astrida Tryggvii f. (6)
- Ölmodus *Grandævus*
  - Askel
    - Askel Fitjaskallius.
- Thordus
  - Klyppus, Dux. ux. Olava, (6, ι)

(ε)
Ösur Totius.
- Gunnhilda, m. Eirikus Blodaxa R. N.
- Eyvindus Skreya.
- Alvus Askmannus

(η)
Ketil *unimanus*
- Eilivus
  - Thorgeir
    - Skeggius, ux. Thorgerda Hlifæ f. (1)
      - Koltorva, mar. Thorvaldus Skeggii f.
      - Hjaltius, ux. Vilborga (6, β. γ.)

(ζ)
Haraldo pulcricomo ex incertis matribus ortæ:
- Ingibjarga, mar. Halfdan dynasta.
  - Gunnhilda, mar. Finnus *Strabo*.
- Alova, mar. Thorer *Tacitus*
  - Bergljota, mar. Sigurdus dynasta Hladensis.
    - Sigurdus.
    - Thora.
    - Eyvindus *Archipoëta*
      - Harekus de Thjotta.
    - Njal
      - Astrida
        - Steinkel, R. Sveciæ.
- Ingigerda

(ϑ)
Hrolvus de Ais
- Björn, Gothus, ux. Hlifa (6, κ)
  - Eyvindus *Orientalis*, ux. Raforta, f. Kjarvalis Hiberniæ regis.
    - Helgius *Macer*, ux. Thorunna Hyrna (2)
      - Hrolvus.
      - Helga, mar. Audun *glaber* (7)
      - Ingjaldus, ux. Salgerda Steinolvi.
        - Eyolvus Hruga, ux. Astrida Vigfusis f. (6, γ)
          - Glumus *Homicida*.

(ι)
Pater
- Hreidar
  - Styrkar
    - Eindridius
      - Einar *Arcitenens*, ux. Bergljota Hakonis f. (6, β)
- Asbjörn de Yrjis
  - Olava, mar. Klyppus, Dux. (6, δ).
  - Jarnskeggius
    - Gudruna, mar. Olavus Tryggvii f.

(κ)
Frodius, rex.
- Ingjaldus.
  - Hrolvius
    - Hliva, ux. Björnis Gothi (6, ϑ)

*) Si in hujus hist. c. 124 vocem „*brœðrsynir*" legas „*brœðr, synir*," quod et conjecerunt Edit. Hkr. ed. Havn. ad OH. c. 68, inter se consentiunt hujus hist. loca utraque c. 124 & 218, nec non Landn. p. 384 & Hkr., OH. c. 68. Sed et ab his et invicem discordant Hkr. OTr. c. 88 et Vigagl. c. 5, quarum prior Sigurdum, Vikingakarii filium, ponit patrem Eiriki Bjodaskallii, posterior eundem Sigurdum, patrem Vigfusis de Vorsia (admissa correctione Arnæ Magnæi, pro „*móður*" legentis „*ok*"). Quo Sigurdo, alieno h. l. ut videtur, excluso, omnia consentiunt.

7. Genus Gudmundi *Potentis*, et Episcopi Gudmundi *Boni*.

Grimus Kamban, qui Færejas primus incoluit; natus circa 732 *)

Thorstein Skrof

Torolfus Smjör

Audun *glaber*, ux. Helga (6, *ϑ*)

- Einar
  - Eyolfus Valgerdæ f.
    - Gudmundus Potens, ux. Thorlöga (8)
      - Eyolvus *Claudus*
        - Ulveida, mar. Egil (4)
      - Haldor
    - Einar Thveraensis
- Vigdisa
  - Hallius *Albus*
    - Ormus
      - Geller
        - Ormus
          - Hallius
            - Thorgeir
              - Thorvardus.
              - Arius
                - Gudmundus *Bonus*, episc. † 1237.

*) Confer Prof. F. C. Dahlmanni epistolam ad Prof. Er. Ch. Rask› commentario Societatis nostræ, Hermodo inscripto, insertam ad Jan. 1826, ubi de prima Færeyarum inhabitatione agitur. De Grimo Kambane cfr. Landn. p. 28.

8. Genus Thorvaldi *peregrinatoris*.

Bardus, dynastes.

Skidius *Grandævus*

Atlius

Eylivus Örn, ux. Thorlauga, Sæmundi Hebudensis filia.

- Kodran de Giljaa, ux. Jarngerda
  - Thorvaldus *Peregrinator*, ux. Vigdisa Olavi f. (8, *a*)
  - Ormus
  - Gunnhilda, m. Hermundus de Gilsbakko
- Sölmundus
  - Gudmundus, ux. Thurida Olavi f. (3)
    - Bardius *Homicida* &c.
- Atlius Robustus, ux. Herdisa Thordi f. (5 *a*)
  - Thorlöga, mar. Gudmundus Potens (7)

(*a*)

Olavus de Haukagilo, ux. Thorhalla, Ævaris *Grandævi* filia.

- Vigdisa, mar. 1o Thorvaldus *Peregrinator*; 2o Thorkel Krafla.
- Asdisa, mar. Ottar Thorvaldi f. (10)

9. Genus Ingolvi, Örnis filii.

Hromundus, Gripi f.
- Björnulvus
  - Ørn
    - Ingolvus, ux. Hallveiga Frodii f. (9, α)
      - Thorstein
        - Thorkel Manius, Prætor.
          - Thormodus, pontifex.
            - Hamal
              - Mar
              - Thormodus.
              - Torvius.
    - Helga, m. Hjörleivus Hrodmaris f.
- Hroaldus
  - Hrodmar
    - Hjörleivus, ux. Helga Ørnis f.

(α)
Frodius
- Loptus *Grandævus.*
- Hallveiga m. Ingolvus Ørnis f. (9)

10. Genus Hallfredi, poëtæ.

Thorvaldus Skiljandius, ux. Thorgerda Hallfrödi f. (α)
- Ottar, uxor Asdisa Olavi f. (8, α).
  - Hallfrödus Difficilis poëta, ux. Ingibjarga (β)
    - Audgist.
    - Hallfrödus.
- Thorkel Silvrius.

(α)
Hallfrödus
- Galtius.
- Thorgerda, mar. Thorvaldus Skiljandius (10)

(β)
pater
- Blotubbius, Gothus.
- Thorar, Gothus.
  - Ingibjarga, mar. 1o Audgist. 2o Hallfredus, poëta (10)

(γ)
Ingjaldus de Ylvia
- Avaldius *Barba* ux. Hilda, Eyvindi Sörkveris f.
  - Kolfinna, mar. Gris Sæmingi f.

11. Genus Eiriki *Rufi*.

Öxna-Thorer.
|
Ulvus
|
Asvaldus
|
Thorvaldus
|
Eirikus *Rufus*,
ux. Thorhilda Jörundi f.
(α)
|
Leivus *fortunatus*.

(α)
Atli *)
|
Jörundus, ux. Thorbjarga Knararbringa.
|
Thorhilda, m. Eirikus *Rufus*.

*) Sic quoque Vita Eiriki *Rufi*, mscr., quæ genealogias ad episc. Brandum priorem pertexit, circa medium, ut videtur, seculi tredecimi conscripta; Landnama vero præfert Ulfum *Strabonem*, pag. 133.

12.

Stefner, dyn. Brittanniæ.
|
Alova
|
Akius, ux. Thorgunna (13)
|
Vagn.

13.

Vesetius, Borgundus, ux. Hildigunna

Buius *Crassus*. — Sigurdus Kapa, ux. Tova, (14). — Thorgunna, m. Akius (12)

14.

Strut-Haraldus, dyn. Skaniæ.

Sigvaldus, dyn., ux. Astrida (5, γ) — Tova, mar. Sig. Kapa. — Hemingus. — Thorkel *Procerus*.

15.

Tokius
|
Palnar, ux. Ingibjarga, f. Ottaris R. Gothiæ.
|
Palnatokius.

16.

Petrus, R. Saxonum. — Ingjaldus, R. Northumbriæ
|
Ubbius
|
Eava, R. Northumbriæ.

17.

Hilder
|
Hranius
|
Eystein Skardensis
|
Hilder.

18.

Skoptius
|
Skagius
|
Thorbjörn
|
Hedin, ux. Ragnheida.

19.

Grenjadus
|
Thorgilsus
|
Ønundus de Reykjadalo.
v. Landn. p. 263.

20. Genealogia Oddi monachi.

Hujus genus maternum Grettla et Laudnama, et quoque, ut videtur, Sturlunga recensent; paternum vero genus tantum Landnama.

1o Landn. p. 181.

Thoroddus
|
Arnor Hynefus,
ux. Gerda Bödvaris f.
|
- Thorbjörn.
- Thoroddus Drapustufus
  |
  Valgerda, mar. Skeggius *Brevimanus*
  |
  Gamlius
  |
  Alfdisa *)
  |
  Oddus monachus
  † 1200.

*) Videtur pro *Alfdís* legendum esse cum Grettla *Asdís*, cum verosimile sit, Gamlium gnatæ suæ indidisse nomen proaviæ. Solent quoque nomina *Alfdís* et *Asdís* haud raro a librariis confundi.

2o Grettla.

Gamlius *Latifundius*. c. 32.
|
Thorhallius
|
Gamlius, ux. Rannveiga, filia Asmundi *Longicani*. c. 16. 32.
|
Skeggius *Brevimanus*, ux. filia Thoroddi Drapustufi, c. 90. 91.
|
Gamlius, c. 91.
|
- Skeggius Skarfstadensis. ob. 1147.
- Asdisa *)
  |
  Oddus monachus.

*) Verba textus impressi: „*ok Asdís móðir Odds*," legenda puto „*ok Asdísar móður Odds*," quod et Landn. et Sturlunga haud dubium faciunt.

3. Sturlunga Libr. 2, cap. 10.

Asmundus *Longicanus*.
|
- Herdisa *)
  |
  Skeggius *Brevimanus*
  |
  Gamlius
  |
  - Thoroddus.
    |
    Vilmundus
  - Eiuar.
  - Skeggius Skarfstadensis, ob. 1147.
  - Helga, mar. Thorarin Krokfjördensis **)
    |
    - Jon.
    - Thorstein
    - Oddus.
- Gretter *Robustus*

*) h. l. absque dubio legendum Rannveiga; videtur auctor Herdisam cum Thordisa, Asmundi *Longicani* f., confudisse, sed hæc alii nupsit, vide Grettlam.

**) Cum auctor h. l. videatur omnes Gamlii liberos enumerare voluisse, non tam putandus est Asdisam omisisse, quam potius eam cum Helga confudisse. Sed de patre Oddi aut dissensus auctorum est, aut Asdisa bis nupsit. Si prius, Oddus filius (quem ex var. lect. recepi, cfr. cap. 25) potest esse Oddus monachus. Hic Oddus rem œconomicam Fjalli administrandam suscepit 1172; deinde nulla de eo mentio; quare conjectare licet, eum proximo anno, ob commotas inter Hvam-Sturlam & adversarios turbas in monasterium concessisse, ibique usque ad 1200 vixisse. Sin vero posterius statuendum est, hunc non esse Oddum monachum, præsertim cum titulus monachi non diserte additus sit, adeoque auctorem Asdisam ejusque filium Oddum monachum plane omisisse; quod quidem vero absimilius duxerim.

4. Land. pag. 169.

Steingrimus, circa 900.
|
Thorer
|
Haldor.
|
Thorvaldus pontif. Eyrensis
|
Oddius Bitrensis
|
Steindor
|
Oddus
|
Snorrius.
|
- Thorolvus.
- Thorarin Tostius.
- Oddus monachus
  † 1200.